

2507

Jn Jns* 794



MOTIVA
QUINQUAGINTA
Ad Præeligendam
ROMANO-CATHOLICAM
RELIGIONEM

Primæ omnium Mortalium utilitati
Catholicis ut in Fide firmentur :
Acatholicis , ut ab errore revocentur.

MUNIFICENTIA

Spectabilis , ac Perillustris Domini
THEOPISTOPHILI DE SMARAGDIS

Publica denud luce donata.

Dum Rev. Nob. ac Eruditus D. ANDREAS
ISTVANFI Theologiæ Polemicæ Auditor
In Alma ac Regio-principali Universitate Claudiopolitana S. J. Controversias Fidei de Ecclesia Christi
Militante publicè propugnaret,

SUB

R. P. FRANCISCO FASSCHING

& Soc. JESU AA. LL. & Philosophiæ
Doctore , nec non Controversiarum
Fidei Professore

ORDINARIO.

BIBLIOTeca
ASTRA
SIRIUS

Claudiopoli TRANSILVANIÆ. Typis Academiciis Soc. JESU. Anno Domini 1736.

SPECTABILI, AC PER-
ILLUSTRI DOMINO
SALUTEM PLURIMAM.

Romæ, MECOENAS GRATIOSISSIME, ad centum Aulas natus es, adeò adversùs omnes humanus es. Catonem Comitate vincis. Liberalitati non est, qui præstaret Tuæ. Artium, Virtutum, ac veræ Religio-
nis studia, usque eò diligis, ut in Da-
cia, velut in Arabia, Phœnix unus es-
se videaris. Optimô hinc Jure Tibi
nomen THEOPISTOPHILI, ut qui
Veritatem cornu petunt, hâc ipsâ Du-
ce, quæ Tuis auspiciis in Lucem pro-
dit, ad DEUM, ac ad Avitam Patrū
suo.

iuorum Religionem retrahantur. Por-
rò Quis Tu, ac quantus sis? satis Te
lectissima Virtus, Te Animi Tui ma-
gnitudo loquitur, quâ, comitibus Con-
stantia & Fortitudine, tot inter adversos
casus Victor, Christianæ Virtutis ascen-
disti fastigium. Atque hæc ipsa est cau-
sa, cur Opusculum hoc, mole quidem
suâ pusillum: sed argumentorum vi-
plura in se complectens volumina, Tuæ
Venerandæ Modestiæ dicaverim, quæ
ob inculpatam Tuam vivendi ratione,
Te Virum Probum ac Justum, Ore Re-
gio proclamavit. Cætera invitus fileo,
quia Animi Tui Verecundia, altū mi-
hi silentium seriò imperavit. Vive! Vale.

Tui observantissimus.

Idem qui suprà.

THESES
THEOLOGIAE
POLEMICÆ
DE
ECCLESIA CHRISTI IN TERRIS
MILITANTE.

I.

Eccllesia Christi militans, est Cœtus o-
mnium Christi Fidelium, veram Fi-
dem sub regimine legitimi Pastoris
profitentium. Unde tam Probi, quām Impro-
bi modò non habeant peccatum infidelitatis,
sunt vera membra Christi Ecclesiæ.

II.

Hæretici aperti, Apostatæ, & schismati-
ci quā tales, non sunt veræ Ecclesiæ
membra. His accedunt Excommunicati per
sententiam legitimi Pastoris. Sed neque Ca-
techumeni sunt actu & absolutè Membra Ec-
clesiæ.

III.

Vera Christi Ecclesia semper est visibilis ac
mun-

Mundo cognita usque ad consummationē Mundi. Est insuper ipsa necessariō perpetua, neque unquam deficere potest. Sed neque in rebus Fidei ac morum Decretis, errare potest.

IV.

Vera Christi Ecclesia, quatuor præcipue insignita est notis, nimirum: quod sit Antiquissima, hoc est, à Christo & Apostolis derivata: quod sit una, Unitate doctrinæ Fidei: quod sit Sancta Sanctitate doctrinæ & morum: & quod sit Catholica, seu Universalis, hoc est, per totum orbem diffusa. Et hæc est sola, ac unicè Romano-Catholica Ecclesia.

V.

IN Ecclesia Christi semper fuit, ac esse debet Caput visibile. Christus Dominus hoc caput visibile, post suam Resurrectionem, D. Petrum sibi substituit, ad gubernandum Ecclesiam suam, cum suprema potestate in omnes Fideles.

VI.

Romani Pontifices in Prīmaru Ecclesiae, sunt veri Divi Petri successores, ac in terris Vicarii Christi Domini.

VII.

Romantis Pontifex, etiam extra Concilium Generale, in rebus Fidei & decretis

morum, ex Cathedra prò tota Ecclesia definiens, est infallibilis: uti & omne Concilium generale legitimè in Ecclesia Congregatum. Insuper Romani Pontificis Authoritas, in rebus Fidei est absolute supra Concilium Generale.

VIII.

ROmanus Pontifex etsi directè non habeat Dominium temporale totius Orbis Christiani; habet tamen directè & jure divino supremam Potestatem spiritualem in totam Christianitatem, ita ut possit condere leges Ecclesiasticas totam Ecclesiam in Conscientia obligantes.

IX.

Sola Sacra Scriptura nequit esse Regula Fidei adæquata omnium Credendorum, aut Judex sufficiens Fidei Controversiarum.

X

Adæquata Fidei Regula, sive Judex Credendorum constituitur ex pluribus, nemirum: Scripturâ Sacrâ, Traditionibus, Ecclesiæ, ac Pontificum Definitionibus.

O. A. M. D. G.



AUCTORIS PROLOQUIUM.

Postquam magno studio,
ac summâ diligentîa in
investiganda vera Religione, &
Fide salvifica, quam unicam
esse sciebam, solius veritatis in-
dagandæ gratiâ, & amore sa-
lutis æternæ complures annos
insumpsissem, longissimóque
tempore anceps animo hæsis-
sem, quamnam ex tam diversis
Religionibus, ac Confessionibus
tenere deberem? atque hunc in
finem varias Academias, & Uni-
versitates obivissem, integras

Bibliothecas excussum, plurimos Auctores, & Scriptores, de modernis Fidei Controversiis tractantes, tam Catholicos, quam Acatholicos evolvissim, multos Doctores diversarum Religionū, ac Confessionum consuluissim, variis publicis disputationibus de his materiis interfuissem, ac ipsemet quoque cum primariis viris singularum sectarum, Confessionum, ac Religionum privata colloquia hac de re instituissim, dubia mea tam Catholicis, quam Acatholicis proposuissim, neque tamen id, quod unicè desiderabam consequi, ac obtinere valuissim: Tandem statui tecum, opportunum tempus, & locum mihi feligere, in quo, sepositis omni-

omnibus aliis curis, ac negotiis, in hoc unicum negotium negotiorum omnium maximū (utpote æternam felicitatem concernens) totus quantus in cumberem, & illud in feriam deliberationem assumerem. Atque ut hujus deliberationis salutarem animæ meæ effectum, totiesque exoptatum finem assequerer, sequentia eidem judicavi præmittere.

Primo. Auxilium, & gratiam Spiritus Sancti impensè implorare, ac lumen veræ Fidei, à DEO, tanquam à Patre lumen, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, magnis votis exposcere; Fides siquidem est singulare donum DEI, quo illu-

stratur homo ad assentiendum omnibus , quæ DEUS nobis revelavit.

Sap. i. ¶ 4. Secundò. Constitui , ac firmiter proposui , me à vitiis per gratiam DEI continere: notum siquidem habui , quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia , nec habitabit in corpore subdito peccatis ; & certus sum , ac fui , plurimos retardari ab agnitione veræ Fidei , eaque amplectenda , ex eo quòd sint irretiti multis vitiis , sed præsertim carnalibus.

Tertio. Deposui omnem affectum privatum , & magis inclinantem ad unam potius Religionem , quam ad alteram , omnémque præconceptam sinistrand opinionem de altera ;

sed

sed statui me coram DEO penitus indifferentem ad hanc , vel illam Religionem eligendam, prout mihi Spiritus Sancti gratia, ac recta ratio, absque omni affectione privati commodi , & timore alicujus incommodi temporalis , dictaverit.

Quarto. Hanc deliberationem , & electionem ita conatus sum instituere , sicut optasse illam instituisse in hora mortis , & in extremo die Judicii ; ut rationem dare possem DEO , cur potius hanc Religionem elegerim , & non aliquam aliam. Unde proposui in animo , ut , si in aliqua Religione vel minimum errorem in dogmate Fidei reperero , eandem illicet

rejiciam, neque amplius in materia deliberationis assumam.

**Ecclesia enim DEI vivi, debet Tim.
esse, & est, Columna, & fir-
Vers. 15. mamentum veritatis.** Sed Co-

lumna veritatis nullum fulcit errorem ; ergo vera Ecclesia DEI nullum in Fidei dogmate debet habere errorem. Non potest itaque vera Christi Ecclesia errare in rebus fidei, tum quod Scriptura Sacra aliis etiam in locis hoc ipsum clarè testetur, ac doceat. Sic ait Christus :

Matt. 16. c. Portæ inferi non prævalebunt adver-

sus eam. Item : Ille vos docebit omnia, & suggesteret vobis omnia. &c. Rogabo Patrem,

eodem. ca- pite. & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Item

Spiri-

Spiritus Veritatis docebit vos o- *Joan. 16.c.*
mnen veritatem. Item Ego vo- *Matth. 28.*
biscum sum usque ad Consumma- *cap.*
tionem sœculi. Denique D. Pe-
tro Christus Dominus di- *Luc. c. 22.*
xit: Ego rogavi pro te, ut non
deficiat fides tua. &c. Atqui, si
Ecclesia Christi posset errare, aut
jam errasset in rebus fidei, tunc
prævaleret infernus adversus e-
am, nec doceretur omnem ve-
ritatem à Spiritu Sancto; i-
mò & Christus ipsam deseruisse
falsumque dixisset: se no-
biscum mansurum usque ad fi-
nem Mundi, quod divinæ vera-
citati simpliciter repugnat, ergo.

His itaq; præmissis, ut fun-
 damentaliter procederem, præ-
 supposui primò certa infallibili-
 lia fundamenta Fidei Christia-

næ, & in quibus omnes Religiones Christianæ, licet inter se differentes, convenire debent, & negari non possunt ab ullo Christiano, sine summæ impietatis, blasphemiae, & Atheismi nota. Præsupposui secundò Principia rectæ rationi conformia in eligendis rebus, quæ ab omnibus prudentibus admittuntur, quæ qui rejicere vellet, meritò argueretur magnæ imprudentiæ.

FUNDAMENTA,

In quibus omnes Christianæ Religiones conveniunt.

I. **E**s DEUS Verus, & Unus, quem omnes veri Christiani in Trinitate Personarum, & Trinita-

nitatem Personarum in Unita-
te naturæ, seu essentiæ divinæ
solum adorant.

2. Hic Deus est Ens perfectissi-
mum, essentialiter includens
omnem perfectionem, & ex-
cludens omnem omnino im-
perfectionem.

3. Hinc essentialiter est Ve-
rax, ita ut nec falli, nec fallere
possit, nec falsum dicere, seu
nec aliter rem aliquam revela-
re, quam sicut eam cognoscit;
nec aliter eam cognoscere, quam
sit in se; adeoque tam in co-
gnoscendo, quam in dicendo est
essentialiter verax.

4. Est Omnipotens. Apud
quem *omnia sunt possibilia.* & Matth. 19.
non est impossibile apud DEUM o-
mne verbum: licet illud huma-

no, aut etiam Angelico intellectu comprehendi non possit.

5. DEUS est Fidelis, absque ulla iniquitate, justus, &
 Deut. 32. ¶ 4. Rectus :

6. DEUS est Immutabilis, Non est Deus quasi homo, ut
 Num. 23. mentiatur; nec ut Filius hominis, ut mutetur. Apud quem
 Jac. 1. ¶ 16. non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quidquid igitur DEUS revelat, verum est, & simul possibile; & quidquid promittit, id potest, & vult præstare, & præstabit infallibiliter.

Psal. 146. 7. DEUS est Sapientissimus. Cujus sapientiae non est numerus.

Exod. 34. 8. DEUS est infinitæ Misericordiæ, Dominator Dominus DEUS misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis

Et

Et misericordia Domini plena est Psal. 118.
terra.

9. DEUS est Justus. Est Remunerator bonorum, & Vindex malorum. *Justus in omnibus viis suis.* Psal. 144. Credere oportet *. 18. accedentem ad Deum, quia est, & ad Heb. 11. inquirentibus se Remunerator sit. *. 6

10. DEUS est summa Sanctitas, & summa Bonitas, & Benignitas. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Iai. 4. Et Sanctus non solùm in se, sed & in *omnibus operibus ejus.* Psal. 144. *. 17. Hoc igitur sit certum, ac indubitatum, quòd, quæcunque Doctrina continet aliquid his divinis perfectionibus repugnans, simpliciter falsa sit, & omnis Secta, quæ talem doctrinam pro Fidei dogmate habet

habet, sit erronea, ac proinde
absolutè rejicienda, neque in
materiam deliberationis assu-
menda.

II. Unicam homo habet ani-
mam, quam necesse est aut da-
mnari, aut salvari per totam
æternitatem. *Quid autem pro-
derit homini, etiamsi universum
mundum lucretur, animæ vero
suæ detrimentum patiatur; aut
quam dabit homo commutationem
pro anima sua?*

12. Æternitas est, cuius fi-
nis nullus, cuius mensura sem-
per; est series infinita tempo-
rum, est numerus sæculorum
sine termino.

13. Finiti ad infinitum nul-
la est comparatio. O felix bea-
torum æternitas, ô misera da-
mnato-

mnatorum ! hæc æternitas alter-
utra nos expectat ; sine vera
Fide illa non obtinetur ; Ergo,
si hanc non habuerimus, alte-
ra infelicissima infallibiter nos
manet.

14. Et quoniam, plurima
hôc libellô referenda, solam
Christianam Religionem evidē-
ter credibilem faciunt, eāmque
unicè illam veram Fidem esse
probant, quam Dominus JE-
SUS ad obtainendam salutem æ-
ternam nobis statuit ; idcirco
ut Unitariis quoque prodesse
queam, quos alii haud malè
Arianos, alii Socinianos, & Ser-
vetianos ab auctoribus suis ita
vocatos appellant, censui hôc
locô seriò commonendos. Quā-
obrem per salutem animæ, per
DE-

DEUM , & Filium ejus , omni-
 um nostrūm causā in cruce pa-
 sum , omnes ac singulos obte-
 stor , ne privatæ suæ opinioni ,
 utpote humanæ , ac erroneæ , am-
 plius deferre velint , quām ve-
 nerandæ tot sæculorum aucto-
 ritati , totique Christianitati per
 universum orbem diffusæ ; quæ
 cum tot millenis Martyribus ,
 Doctoribus , ac integerrimæ
 vitæ Patribus , omnium natio-
 num communi consensu , Di-
 vinissimæ Trinitatis Mysteri-
 um , in Scripturis revelatum ,
 credidit , docuit , & oppositam
 doctrinam in tot generalibus
 Conciliis , ejusque sectatores da-
 mnavit , ac à numero Christia-
 norum abscedit .

Expendite itaque odio omni-
 sepo-

seposito, accuratè, ac solius veritatis studio, vestræque Salutis æternæ causâ acquirendæ seriò recognitatem: quid convenientius in negotio tanti momenti, à quo salus aut perditio æterna pendeat, & quid ad omnes prudentiæ regulas exactius sit? num præstet præeligere totius Christianitatis tot sæculorum sensum publicū, tam firmè in Scripturis fundatum: an verò paucorum aliquot hominum, reverà ruditum, & nullius omnino auctoritatis in comparatione universæ Christianitatis, privatæ opinioni, ac sententiæ adhærescere? ô Unitarii ratione prædicti! quò lumen illud ponitis, si Ario ab Ecclesia, ab orbe universo exscetto, aut uni Serveto, flam-

mis Genevæ exusto, fidem ma-
jorem habeatis? Hæc expendi-
te, neque convinci metuite,
nisi salvi esse, nihil iudicatis. Da-
te vos non nobis, sed rationi,
sed prudentiæ vestræ: date vos
DEO, ac JESU Christo, quem
divini Codices plurimis locis
DEO coæternum, coæqualem,
DEUM verum, Emmanuelē,
hoc est, nobiscum DEUM, &
Paulus, *super omnia DEUM,*
ad Rom. 9. v. 5. *Benedictum in saecula, testantur*

Ad Phil. c. 22. *Hinc idem Apostolus loqui-
tur: qui cum in forma DEI
esset; non rapinam arbitra-
tus est, esse se æqualem DEO:
sed semetipsum exinanivit formā
servi accipiens. Nimirum: cum
esset in forma DEI, seu naturā
DEUS, non rapinam arbitra-*

tus

tus est, se esse æqualem DEO;
 sed hoc non obstante formam
 servi accepit, ac semet propterea
 exinanivit. Negant hunc sen-
 sum Unitarii : sed quô jure ?
 quâ authoritate? quanta est ma-
 gnitudo papaveris respectu o-
 mnium montium mundi: tan-
 ta profectò est cum proportio-
 ne debita, auctoritas Unitario-
 rum respectu totius orbis Chri-
 stiani, in hoc puncto idem sē-
 tientis: jam rectam rationem cō-
 sulite, eccui plus deferendum?
 accedit: quòd Scriptura sacra
 hanc auctoritatem, decidendi
 quæstiones Fidei, nulli homi-
 num privatorum, adeoque ne-
 que Unitariis, sed toti Ecclesiæ
 attribuat. Si quis nō audierit Ec-
 clesiam, sit tibi sicut Ethnicus,
Matth. 18.
¶ 17.

& Publicanus. Prius fuit DEUS, quam Diabolus: prius seminatum est semen bonum,
Mat. 13. c. quam zizania: prius fuit Ecclesia Christi, quam Cerinthus, Ebion, Arius, Socinus, Servetus, & cuncti Unitarii; non enim Ecclesia, sed praefati homunciones separarunt se ab Ecclesia. Quid ergo docet, quomodo explicat Christiana Ecclesia, quae est Columna Veritatis teste Apostolo, praecitatum tex-
 tum? audite ex ore totius Christianitatis, audite ex Irenaeo Apostolis proximo, Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Nysseno, Cyrillo, Hilario, Augustino.

L. 2. de fin. de c. 4. Epist. 47. &c. ac Ambrosio: per formam hanc DEI, naturam & essentiam DEI: sicut per formam ser-

vi, naturam, & essentiam hominis exponi ; quærit enim Ambrosius, *quid est in forma DEI?* & respondet: *in natura DEI.* Eodem modo respondet universa Christianitas, cuius cùm Auctoritas tantò præcellat auctoritatem Unitariorum, quanto frequentissimus gravissimorum virorum ab omni æquitate, sanctimonia vitæ, sapientia, tum divini ac humani juris Peritia, summè conspicuus Confessus superat in ritè explananda perquam difficiili quæstione, rudem aliquem, ac imperitum Rusticellum; Igitur prudentissimè inferri debet hæc consequentia, & quidem ex reflexis prudentiæ principiis: ergo verior, ac tutior longè est

sententia Confessus illius tam probi, tam docti, tam amplius quam assertum illius imperiti; immo quidquid in contrarium Rusticellus iste opponit, ac sentit, non nisi temerarium, imprudens, ac falsum sit oportet.

Porro si Christus, ut Unitarii volunt, creatura est, ergo Servus. quomodo igitur semet ipsum exinanivit? Juxta Scripturas credunt Christiani: cum esset in forma DEI, hoc est, natura DEUS: formam servi accepit, Verbum Caro factum est, sequere propterea exinanivit: antequam enim formam Servi acciperet, eam non habuit, ergo ante acceptam formam servi, non erat servus; ergo non erat Creatura, cuius essentia est

esse servam DEI. Quid ergo tunc fuit? non Creatura. ergo DEUS; fuit enim aliquid: quid? Verbum. *Et Verbum caro factum est.* Inter DEUM, & creaturam non datur medium, aut tertium, ut lumerationis nos edocet. Quid ergo tunc fuit hoc Verbum? antequam enim in utero Virginis conciperetur, non fuit homo, ne aliquid dicamus esse, ante suum esse. Generationem ergo hujus Verbi, quis enarrabit? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum,* per quod, ut Evangelista loquitur: *omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil &c.* *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.* Quid plura? Isaiam lege, qui toto

Capite 35. venturum Christum
prænunciat, & Verbum hoc,
ipſiſſimum DEUM Israēlis vo-
cat: *Ecce DEUS vester &c. DE-*
US ipſe veniet, & salvabit vos. Et
Capite 52. *Quia ego ipſe, qui*
loquebar, ecce adsum. Similia va-
ticipinatus est Baruch: *Hic eſt*
DEUS noster &c. utique verus
DEUS Israēlis; atqui de hoc
mox iſta subdit: *Posthæc in ter-*
ris viſus eſt, & cum hominibus
conversatus eſt. Nimirum: for-
mam ſervi accipiens, & habitu
invētus ut homo. ita Apostolus.
Verbū hoc itaque divinissimum
nusquam in scripturis in ordine
creaturarum nominatum, verus
DEUS eſt. *Ego ſum Alpha &*
Omega, principium & finis. Er-
go Verbum hoc Principium eſt,
atque

atque in hoc Principio, hoc est,
in hoc Verbo, creavit DEUS
Cœlum, & terram, Omnia. er-
go hoc Principium, hoc Ver-
bum, DEUS est. *Dixit Domi-
nus DEUS: -- Ego sum primus
& novissimus: & vivus, &
fui mortuus.* Nimirum: secun-
dùm Divinitatem, semper Vi-
vus: secundùm humanitatem,
semel pro nobis omnibus Mor-
tuus. Videte jam Unitarii, quid
sit Verbum: quòd si Christiani, si
salvi æternùm esse velitis, Chri-
stum verum ac unicum esse DE-
UM credite, errores deponite.



መ. የኩርክና አቶኑ ተኩረዋል. እኩርና አቶኑ ተኩረዋል ስለዚ
አቶኑ ተኩረዋል የኩርክና አቶኑ ተኩረዋል. የኩርክና አቶኑ ተኩረዋል

PRINCIPIA PRUDENTIAE,

*In rebus præfertim summi
momenti eligendis.*

1. IN electione, & præelectione
rerum præferenda sunt majora
bona minùs bonis, & à fortiori ipsi
malis; certa incertis, ac dubiis; ve-
ra falsis; perpetua, ad breve tempus
durabilibus, æterna quibuscumque
temporalibus; conformia rectæ rati-
oni, eidem difformibus.

2. Ad finem unice desiderabilem
obtinendum adhibenda sunt Media ap-
posita, & proportionata, & potius
magis certa, quam minùs certa, vel
omnino incerta.

3. Ex Mediis ad salutem æternam
consequendam illa sunt certiora, per
quæ constat, multos consecutos esse
salu-

salutem æternam, quæ ea, per quæ
neminem certò constat eam adeptum
fuisse.

4. Illa quoque Media ad salutem
sunt certiora, quæ adhibenda suadet
recta ratio, & auctoritas Virorum fa-
pientum, ac eximiis virtutibus præ-
ditorum, & Sanctorum, aut quæ sug-
gerit ipse Spiritus DEI, quæm quæ
dictat caro, sanguis, mundus, & vi-
tæ licentia, ac libertas. *Spiritus e-
nim est, qui vivificat, caro non pro-
est quidquam.* Qui enim secundum ^{Job. 6.}
carnem sunt, quæ carnis sunt, sapi- ^{v. 64.}
unt; qui vero secundum Spiritum
sunt, quæ sunt Spiritus, sentiunt.
Nam prudentia carnis mors est: pru-
dentia autem Spiritus, vita & pax;
quoniam sapientia carnis inimica est
DEO. Qui autem in carne sunt, DEO ^{Ad Rom. 8.}
placere non possunt. ^{v. 5.6.7.8.}

5. Quoniam una tantum sit vera
fides, teste Apostolo: *Unus DEUS, u-
na Fides &c.* à qua salus æterna pen- ^{ad Eph. 3.}
deat, & quia quævis secta clamat, su-

am fidem esse verissimam, cui ergo credendum? quæ Religio præcæteris eligenda? & In negotio tanti momenti, ne homo æternūm pereat, juxta Regulam rectæ rationis, seu dictamen Prudentiæ, debet omnis homo illam fidem præeligere, quæ maxima pro se habet motiva credibilitatis. v. g. Antiquitatem sui, Doctrinæ unitatem, ejusque, ac morum sanctitatem, & per universum orbem diffusa est; insuper, pro qua stant testimonia SS. PP. in qua reperire est omnis generis viros à probitate, & cœlesti sapientia illustres, consilia Evangelica sectantes, fusum multorum Martyrum sanguinem, & Miracula, quæ in contestationem talis fidei facta sunt; nam DEUS nequit concurrere ad aliquod miraculum in testimonium fidei falsæ; quia nos sic deciperet, quod DEO repugnat. Nullum autem Miraculum velle admittere, quæ à tot scriptoribus, Patribus, etiam eorum spectatoribus, referuntur, esset summa

mæ imprudentiæ, ac temeritatis; cùm prudens fundamentum absit, tot ac tantos viros mendacii arguendi.

Illa ergo Fides, quæ maxima pro se habet motiva credibilitatis, à quo-vis homine præeligi debet; quia sic homo agit prudenter, ita, ut datô etiam non concessô, quòd in tali electione error contingeret, propterea tamen homo talis sic operando, puniri à DEO non posset, & esset omnino coram DEO excusabilis; cùm DEUS ultra id, quod Regula prudentiæ, & lumen rectæ rationis dictat, ac svadet, neminem obliget: contrà verò, qui negligit, neque vult hoc dicatum rationis sequi, fit coram DEO inexcusabilis; quia sic agendo, imprudenter agit, adeoque meritò plementus est.

His fundamentis, & prudentiæ principiis in eligendis rebus præsuppositis, institui sequentes Considerationes: ex quibus erui convincentia Motiva, cur potius elegerim, & amplexus fue-

rim Fidem Romano-Catholicam ,
quām ullam aliam Sectam ex illis, quæ
nunc in Christianitate vigent, cūrq;
omnes cæteras Religiones repudia-
verim.

CONSIDERATIO I.

PRo prima itaque Consideratione
assumpsi in deliberationem, u-
trum melius fecero, si me adjunxe-
ro Statui Catholico, vel Evangelico
(quo titulo gloriantur alicubi Luthe-
rani, & Calvinistæ simul:) & quidē
quisnam, & qualis fit Status Catholi-
cus? Illicò intellexi, nempe, quòd
sit eorum, qui sequuntur Fidem Ro-
manam per totum orbem terrarum,
semper, & ubique, ac in omnibus
Articulis Fidei sibi æqualem, ac simi-
lem. Circa autem Statum Evangelici-
cum, statim impegi in pericolosissi-
mum scopulum: sic enim mecum ra-
tiocinabar. Status Evangelicus debe-
ret ille esse, qui tenet doctrinam per
omnia

omnia Evangelio conformem. Atquî doctrina, quam tenent Lutherani, & Calvinistæ simul, non potest esse conformis Evangelio. Duæ siquidem doctrinæ sibi contrariæ, vel planè contradictoriæ simul non possunt esse conformes eidem veritati Evangelicæ, sed alterutra earum necessariò debet esse difformis eidem. Constat verò, doctrinam Lutheranorum, & Calvinistarum in multis Articulis Fidei sibi esse contrarias, & planè in aliquibus contradictorias. Ergo utraque simul non potest constituere unū Statum Evangelicum : adeòque hic Status est omnino Chymericus. Ego autem nolui in hac mea electione & deliberatione venari Chymeras, sed indagare ipsam veritatem rerum, Fidei Divina credendarum. Igitur hic Status Evangelicus non cadit sub meam electionem: & consequenter illū ab ea prorsus judicavi rejiciendum.

CONSIDERATIO II.

DEINDE institui hanc Considerationem. Cùm Calvinistica, & Lutheranica Religio, simul utraque nō possit dici Evangelica, an saltem alterutra, & seorsim illarum aliqua sit Evangelica, adeoque una alteri præferenda, & consequenter hæc potius, quàm illa præeligenda? sed rursus hæsi. Ratio siquidem ipsa mihi dictavit, in præelectione unius rei præ altera, debere esse potiores Rationes pro una parte, quàm pro altera. Nō potui autem invenire potiorem rationem, cur Lutherana doctrina debet dici Evangelica, quàm Calviniana, nec ē contrà. Sed neque ab ipsis Lutheranis, & Calvinistis hanc extorquere potui. Nam utraque Pars citabat pro se aliquos textus Evangelii, & circa citatum textum Lutherani aliter eum interpretabantur, aliter item Calvinistæ. Et illi asserebant, su-

am

am interpretationem esse veram, ac
genuinam, Calvinistarum falsam: &
è contra Calvinistæ? suā interpretatione-
nem esse veram, & Lutheranorum
falsam. Utraque autem Pars verita-
tem suæ interpretationis probabat ex
dictamine proprii Spiritus, qui erant
sibi prorsus oppositi; & neutra Pars
potuit assignare rationem, vel moti-
vum, cur potius alterius privatus Spi-
ritus, & Critirion aberret à veritate
interpretationis, & non suus. Et cer-
tè, cùm ipsorum doctrina Spiritus
publicus, seu judicium totius Eccle-
siæ fallī possit, à fortiori censem
privatos ipsorum utriusque sectæ Spi-
ritus, seu conscientiæ sensus, esse fal-
libiles, utpote humanos, mendaces
ac contradictorios, non nisi ad jurgia
servientes; ad terminandam verò hāc
causam planè ineptos; cùm quisque
talem Spiritum, & conscientiæ suæ sē-
sum, pari jure pro se allegare possit.
Non potui proinde inter has duas do-
ctrinas, unam potius eligere, quām
alte-

altetam. Ergo utramque judicabam
reiiciendam.

CONSIDERATIO III.

Illud quoque capere non potui,
quo fundamento Lutherani &
Calvinistæ excludant à Statu suo E-
vangelico Anabaptistas, vel Arianos,
qui Unitarios semet vocant. Nam hi
eodem planè jure dicunt, se debere
vocari Evangelicos, & suas doctrinas
conformes esse Evangelicæ veritati :
imò potiori, quàm Lutherani & Cal-
vinistæ. Anabaptistæ siquidem dicunt,
in Evangelio nullibi legimus, infan-
tes esse baptizatos : imò Christus ipse
dicit : *Qui crediderit, & baptizatus
fuerit, hic salvus erit.* Ergo Fides
debet præcedere baptismum ; Fides
autem non datur, nisi in adultis ; er-
go ante adultam ætatem nemo debet
baptizari. Ergo nostra doctrina est
conformior Evangelio, quàm Luthe-
ranorum, & Calvinistarum, admit-

ten-

tentium baptismum puerorum. Ariani pariter dicent: In Evangelio expressè dicit Christus *Pater major me est.* Ergo nos juxta Evangelium docemus, Filium in Divinis non esse à qualem Patri, sed minorem Patre. Nec admittimus, in præsenti Textū interpretationem SS. PP. Filium esse minorem secundūm humanitatem, à qualem verò secundūm Divinitatem (si ea contra nos adducatur à Lutheranis, & Calvinistis.) Quia & ipsi Lutherani, & Calvinistæ, in materiis controversis inter se, & Catholicos interpretationem SS. PP. rejiciunt. Nec est maior ratio, cur in hoc puncto auctoritas PP. deberet valere, & nō in aliis materiis Fidei.

Si verò Lutherani & Calvinistæ suam, ac privati sui Spiritūs interpretationem adducant; mox petent Lutherani à Calvinistis, & Calvinistæ à Lutheranis, Ariani ab utrisque, eandem interpretationem sibi ostendi, ubi ea sit in Scriptura expressis terminis

nis posita? cùm utraque pars , sicut & Ariani, doceat, nihil esse credendum , nisi quod expressè , ac clarè in Scriptura sit: quanquam & hoc ipsum eorum Assertum nullibi in Scriptura extet.

CONSIDERATIO IV.

IN præsenti Consideratione occurrit mihi monitum illud Scripturæ sacræ; *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ Jerem. 6. fit via bona? & ambulate in ea.* & judicavi apud me illam viam ad Cœlum esse meliorem, securiorem, & magis certam , ac tutam , per quam constat quām plurimos jam pervenisse ad Cœlum , quām illam , per quam hactenus neminem constat ad Cœlum pervenisse. Subsumpsi deinde. Atqui pro certo constat, quòd multi, qui in Fide, Romano-Catholica vixerunt & mortui sunt , salvati sint; quòd verò aliqui, alias Reli-

Religiones tenentes, salvati sint, certò non constat; Et indè intuli: Fidem Romano-Catholicam certiorem viam esse ad salutem consequendam, quam aliam quamcunque Religionem, ac proinde hanc præ aliis eligendam.

CONSIDERATIO V.

Hinc ulterius sic argumentabar:
Omnis, qui salvatur, placet Deo.
Atqui sine vera Fide nemo potest placere DEO. Ergo Fides & Religio illa, per quam quis salvari potest, est vera: sed indubium est, multos tenentes Fidem, & Religionem Romano-Catholicam salvatos fuisse (Quod nec ipsi quidem Adversarii negare audent) ergo Fides Romano-Catholica est vera Fides ac Religio. Ergo hæc est eligenda.

CONSIDERATIO VI.

Hinc rursus sic arguebam: Sicut unus est DEUS verus, ita & una Fides vera; juxta illud S. Pauli, *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Una igitur est Fides vera & salvifica, sicut unus est Dominus sive DEUS. Ergo, si Catholica Fides est vera & salvifica (ut ostensum est) Reliqua Religionum genera non habent rationem veræ Fidei, neque extra Fidem Catholicam datur salus. Ergo Fides Catholica est præ cæteris mihi eligenda.

CONSIDERATIO VII.

Sed & illud me plurimum confirmavit in proposito ad amplectendam Fidem Romano-Catholicam, quod, Catholicos salvari posse, etiam Hæretici profiteantur; Catholici autem firmissima Fide credunt neminem extra

extra Ecclesiam Romano-Catholicam
salvari posse. Quæ ergo dementia fo-
ret cum Catholicis non stare, quos
etiam Adversarii salvati posse admit-
tunt; sed cum Acatholicis, quos Ca-
tholici salvati posse negant? Cui enim
non suaderem tutiorem in periculoSi-
simo discrimine viam? Illa autem est
tutior, quam probat utraque Pars, li-
cet sibi adversaria, quam illa, quam
una tantum Pars probat, altera etiam
jurando reprobatur. Sic nemo dubitat
utriusque Medici judicio medicinam
probatam tutius accipi, quam alterius
judicio damnatam ut mortiferam.

CONSIDERATIO VIII.

MEmor verò illius moniti: *In-*
terroga Patrem tuum, & an- Deut. 32,
nunciabit tibi, Majores tuos, & dicent
tibi. Et illius; Ne transgrediaris ter- Prov. 22.
minos antiquos, quos posuerunt Pa-
tres tui. Consului libros veterum
SS. PP. quid consilii ex iis capere pos-

sem super hac quæstione ; utrùm Romano-Catholicam fidem, an aliquam ex aliis Religionibus amplecti debeam ? Ex his primus mihi occurrit S. Augustinus (qui pariter ex Manichæorum hæresi conversus est ad Fidem Romano-Catholicam) simul addens rationem suæ conversionis

Tom. 6. *eōtra Epist. quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio fundam.* *me justissimè tenent : Tenet consen-*

cap. 4. *sus popolorum, atque gentium : te-*
net Autoritas miraculis inchoata,
spe nutrita, charitate aucta, vetu-
state firmata : tenet ab ipsa sede Pe-
tri Apostoli, cui pascendas oves Domi-
nus commendavit, usque ad præsen-

cap. 17. de tem Episcopum successio Sacerdotum.
utilitate credendi. *Et iterum alio loco. Dubitabimus*

nos in ejus Ecclesiæ condere gremio,
quæ ab Apostolica Sede per successiones
Episcoporum, hæreticis partim consi-
liorum gravitate, partim miraculo-
rum Majestate damnatis, Culmen Au-
toritatis obtinuit ? Alter hoc adhuc

antiquior fuit Sanctus Irenaeus sic scri- l. 3. c. 3.
 bens de Romana Ecclesia : *Ad hanc
 Ecclesiam, in qua semper conservata
 ea, quæ est ab Apostolis, traditio.*
 Tertius est Tertullianus in præscript. Cap. 36.
*Habes Romam, unde nobis quoque Au-
 ëtoritas præstò est, statu felix Eccle-
 sia, cui totam doctrinam Apostoli cum
 sanguine suo profuderunt.* Quartus
 est Sanctus Hieronymus contra Ruf-
 finum : *Scito, Romanam Fidem Pauli* Epist. 3.
cap. 3.
*Auctoritate munitam : ac in extremo
 Dialogo adversùs Luciferum : Bre-
 vem (inquit) apertamque animi mei
 sententiam proferam ; in illa Ecclesia
 esse permanendum, quæ ab Apostolis
 fundata usque ad diem hunc durat.*
 Loquitur autem citato loco de Ro-
 mana Ecclesia. Demum his accessit
 S. Nazianzenus , qui ad præsentem
 meam quæstionem sic respondet :
 (carmine de sua vita) *Fides Romana
 recta erat jam antiquitus, & recta
 perstat nunc etiam, nexu pio, quod-
 cunque sol videt, devinciens. Quibus*

intellectis non potui non acquiescere
horum sapientissimorum, & sanctis-
simorum Patrum judicio : decrevi
proinde Fidem Romano-Catholicam
amplecti.

CONSIDERATIO XI.

Recurri dein ad alios Sanctos, &
Sanctas DEI, quæsivi, in qua-
nam fide vixerint, & per quam Fidē
ad salutem æternam pervenerint? ex-
cussi itaque accuratè priscam Ecclesiæ
Historiam, ea etiam, quæ moderni
Auctores referunt: & reperi cunctos
Ecclesiæ SS. PP. ac Doctores, aliós-
que innumeros Sanctos, qui mundo
vitæ puritate ac Sanctitate præluxere,
in Romana Fide vixisse, & per hanc
Fidem ad æternā eos salutē pervenisse.
Sic reperi Romano-Catholicum, ut
cæteros sileam, S. Ignatium Antio-
chenum, Martyrii sitientissimum, qui
Traditiones quoque Apostolicas, qua-
rum testis ipse fuerat, ne dilaberentur,

tur, scripto mandaverat. Reperi S. Telesphorum, qui jejunium Quadragesimale sancitum ab Apostolis, observari jussit: S. Iræneum, qui à successione & Cathedra Romana Apostolicam Fidem declaravit: S. Sixtum, cui ad Altare sacris operanti, ministrârunt septem Diaconi. S. Laurentium hujus Archi - Diaconum, quem quidem Lutherani & Calviniani de fastis suis eraserunt; verùm cæteri omnes omnium gentium scriptores, & Regna, pro Christi Martyre recognoscunt, cujus vitam Vir Consularis, nomine Prudentius, ante 1355 annos multis versibus ornavit: Præterea S. Martinum, S. Nicolaum, S. Athanasium, &c. multis vigiliis exercitos, jejunii pastos. Ex Monachis: S. Benedictum, S. Dominicum, S. Franciscum &c. Ex Anachoretis: S. Paulum, S. Antonium, S. Hilarionem, &c. Ex Viduis: S. Elisabetham, S. Monicam, quæ moriens orationes, & sacras Missas pro se fieri ad Altare, re-

ligiosè flagitavit. S. Paulam , quæ spreto Romano Palatio & opimis prædiis, in Bethleemita spelunca ad Christi cunabula sanctè delituit. Ex Virginibus: S. Cæciliam, S. Agathā, S. Luciam, S. Barbaram, &c. quæ suam pudicitiam & Christi Fidem, suo sangvine in Romano-Catholica Ecclesia defenderunt. Quæ omnia, Aca-tholici quoque Chronologi, ut Magdeburgici , cùm se ad scribendam Ecclesiæ Historiam appulissent, negare non audent, & nisi gesta Romano-Catholicæ Ecclesiæ collegissent, mille quingentos annos argumenti va-cuos prætermittere debuissent. Unde hanc feci resolutionem: Si hi Sancti & hæ Sanctæ, & innumeri alii, hanc Fidem tenentes pervenerunt ad Cœlestem gloriam, hæc profectò Fides, omnium tutissima & securissima sit ad Cœlum via, est necesse; conse-quenter nulla alia est mihi quærenda, aut tenenda.

CONSIDERATIO X.

INspexi postmodum antiquissimos
 Auctores, eosque valde graves, &
 quasi ex iis, quænam fuerit illa Fi-
 des, pro cuius veritate tot millia Mar-
 tyrum sanguinem fuderunt, exilia,
 atroces cruciatus & tormenta, tam
 patienter sustinuerunt, tam diurnos
 carceres toleraverunt & reperi, o-
 mnes Beatissimos Martyres non in alia
 Fide, quam in Romano-Catholica
 vixisse. Tales fuere tres & triginta
 Martyrio affecti, Romani Pontifices.
 Sic Cornelius & Cyprianus, sic Fabi-
 anus & Sebastianus, sic S. Cathari-
 na, S. Agnes, S. Dorothea & innu-
 meri alii & aliae. Conclusi proinde
 mecum, Fidem illam, in cuius veri-
 tatis testimonium vitam suam depo-
 suere tam gloriosè, tam hilariter tot
 & tanti Testes, non posse non esse ve-
 ram. Quomodo igitur amplius po-
 tut dubitare de Ecclesiæ Roma-

CONSIDERATIO XI.

DEJECI DEIN OCULOS MENTIS IN TARTARA, & VIDI IBIDEM ÆTERNIS CRUCIATIBUS TORQUERI SIMONEM MAGUM QUI NEGABAT HOMINI LIBERUM ARBITRIUM : VIDI NOVATIANUM & AÉRUM ARIANUM, QUORUMILLE, HOSTIS ERAT SACRAMENTORUM PŒNITENTIAE & CHRISMATIS : ISTE VERÒ PRECES DAMNABAT PRO MORTUIS, CHRISTUM NEGABAT CUM EBIONE & CHERINTO ESSE VERUM DEUM DE DEO VERO, COÆTERNUM AC CONSUBSTANTIALEM PATRI ÆTERNO : INTUITUS SUM DEINDE VIGILANTIUM, QUI SANCTORUM INVOCATIONEM NON FEREBAT. DENIQUE AD UNIVERSUM DAMNATORUM AB ECCLESIA HÆRETICORUM EXHORRUI GLOBUM, UTPOTE : PELAGIUM, NESTORIUM, MACEDONIUM, MAHOMETEM &c. IGNIBUS INFERORUM IMMEROS, & AUDIVI EX IPSIS, CAUSAM HANC SUÆ DAMNATIONIS ÆTERNÆ ESSE, QUÒD RECESSERINT AB UNI-

Unitate Ecclesiæ Romanæ, Ecclesi-
am audire noluerint, Sectarum ab il-
la alienarum Auctores fuerint. Sa-
lubriter igitur mecum conclusi, quòd
si non volo cum illis in æternū ar-
dere, non debeam ab Ecclesia Catho-
lica recedere.

CONSIDERATIO XII.

Relicto Tartarō, terræ redditus,
cogitare cœpi, essetne quispiam
ex Christianis Scriptoribus, qui dubi-
tasset, an S. Pauli Fides, vera & A-
postolica fides fuerit? & reperi nemini-
nem. Atqui Paulina Fides eadem fu-
it cum Romana, teste ipso ita Scri-
bente: *Desidero simul consolari in vo-
bis (Romani) per eam, quæ invi-
cem est , fidem vestram , atque me-
am.* Ergo Romana Fides fuit aliquan-
do vera. ergo nunc est vera, & A-
postolica Fides. Siquidem vera Christi
Fides, ex eodē Apostolo est *Columna &*
firmamentum veritatis. Atqui ut Do-

*Ad Rom. I.
¶ 12.*

*I. ad Tim.
c. 3.*
minus

Mat.c.16. minus ait, supra petram adeò stabiliter fundata, ut nullæ inferorum portæ prævalituræ sint unquam adversus

C. 2. §.44. eam. De hac enim Fide vaticinatus est Daniel. In diebus autē regnorum illorum, suscitabit DEUS Cœli Regnū, quod in æternum non dissipabitur.

Et quoniam ipsi quoque Acatholici Fidem Romano-Catholicam concedant, & concedere debeant, veram & Apostolicam ab initio fuisse, cùm nempe D. Petrus, &c. Damasus, Syricius, Anastasius, Innocentius, clavum tenerent Apostolicum: sed *Calvin.* *Injt. L. 4.* postea, ut ipsi somniant aut blasphemant, eam defecisse & errasse, quod Romano-Catholici constanter negant & oppositum ex Scriptura, ex Patribus, ex sensu universæ Christianitatis evincunt; *sed neque Adversarii,* dum Catholicis, Ecclesiam errasse Romanam, obtrudunt, ullo prudenti arguento id probant. Unus 5tum, alter 6tum, tertius 7mum sæculum: Alius in hoc

& alius in alio eam errâsse referunt. Et certè, si quis quærat ex illis: quando fides Romano-Catholica, & in quibus fidei articulis? quô locô? an tota simul, an per partes? quô auctore defecerit? nihil solidi adducere possunt. Ergo Fides Romano-Catholica est in possessione suæ Antiquitatis, nec potest ex ea deiici; siquidem Actore non probante, cui alias probatio incumbit, Reus absolvitur, ut omnes Jurisperiti docent, & ipsum lumen rationis hoc dictat. Profectò, si certò constaret, aliquam Familiam antiquissimæ Nobilitatis esse, & aliquis diceret, habuisse quidem olim illam Nobilitatis Prærogativam, sed postea eandem deperditisse; talia dicentj incumberet probatio, quando? & ex quibus causis eandem amiserit? quòd si probare nō posset, ad minimum in *Emenda lingvæ*, coram æquo Judice convinceretur.

Et quis prudens sibi persyadeat,
Eccle-

Ecclesiam tantoperè celebratam, ac
à Christo super Petram ædificatam po-
tuisse deficere, aut errâsse? cùm 1. Scri-
ptura & verba Christi oppositum do-
ceant, ut in Proloquio ostensum est.
2. quòd hujus tantæ rei, quanta est
in Christiano orbe Religio Christia-
na, extinctæ ac in Idololatriam con-
versæ, nullus haçtenus Historicorum
neque Latinus, neque Græcus: ne-
que Persa, neque Ægyptius: neque
Germanus, neque Gallus vel obscu-
rè per mille, & quingentos annos,
in suo Coñentario aut Chronologia
meminerit; qui tamen nè minutias,
si novitatem saperent, tacuère. Solus
Lutherus malum hoc tam grande,
mox Calvinus contra Lutherum, &
post hos Servetus contra utrosque a-
liud docens, malum, inquam, hoc tā
grande, detexit! quis hoc credere
possit? qui erant hi? & quales? an nō
jurati hostes Ecclesiæ? scitur. ubi co-
rum vitæ integritas & austeras? u-
bi miracula? ubi morum ac Casti-

moniæ innocentia? ubi sanguinis,
pro sua doctrina contestanda, effusio?
ubi Martyrii desideriū? ô Mortales! En,
quām innocens sit Susanna Romano-
Catholica Ecclesia, pro qua 17. Sæ-
culorum, & amplius, stat Auctori-
tas, adversus aliquot Recentes(nam
veteres illæ sectæ dudum cum aucto-
ribus suis interierunt) Sectarios,
ab hac ipsa Romana Ecclesia Aposto-
tas, inter se summè discordes, viles,
dissectos: & non nisi in impugnanda
Ecclesia concordes, quod ipsum &
Infideles, & omnes agunt Diaboli.

CONSIDERATIO XIII.

Cum in hac deliberatione essem:
An scilicet Fidem Romano-Ca-
tholicam præeligere deberem, vel a-
liam ab ea alienam? nova se mihi ob-
jiciebat difficultas. Nempe hæc: Quòd
si Catholicam Religionem rejicerem,
iterum deberem aliam deliberationē
instituere, quamnam ex illis ab Ec-

clesia Romano-Catholica alienis præ-
 eligere deberem. An Lutheranam?
 vel Calvinianam? vel Anabaptisti-
 cam? aut Arianam? cùm hæ Reli-
 giones in multis inter se discrepent,
 & ad invicem se gravissimorum erro-
 rum incusent. Imò esto me jam ad
 unam ex istis eligendam determina-
 rem, ne cdum esset finis deliberatio-
 nis; siquidem hæ Religiones rursus
 sunt subdivisæ inter se: Et sic rursus
 instituere deberem novam delibera-
 tionem, quamnam ex tam diversis,
 & subdivisis tenere, & amplecti de-
 beam. Præstabat igitur unâ fideliâ
 omnes has ex iisdem rationibus rejic-
 cere, & fidem Romano-Catholicam
 amplecti. *Cui DEUS dedit, usque ad*
consummationem Sanctorum, in opus
ministerii Pastores, & Doctores in æ-
dificationem Corporis Christi, ne cir-
cumferatur omni vento doctrinae in ne-
 ad Ephes. 4. quitia hominum, in astutia ad circum-
 p. 14. ventionem Erroris.

CONSIDERATIO XIV.

ILLUD MIHI statim initio hujus deliberationis proposueram. Quod in quacunque Secta vel Religione errorrem in fide, & contra rectam rationem deprehendero, illam omnino velim reiicere, nec amplius in materiam electionis assumere. Examinavi proinde varia fidei dogmata modernarum Religionum, à Romano-Catholicâ alienarum, ex fundamentis, & principiis in exordio hujus dissertationis præsuppositis, sic de iisdem sigillatim discurrendo. Pro Exemplo primo posui hunc discursum. DEUS est infinitæ sapientiæ, & infinitæ bonitatis, & imposuit nobis certa præcepta, ob quorum transgressionem gravissimè, & quidem in æternum homines punit. Ergo debent talia præcepta illa esse, quæ cum illius gratia à nobis observari possint; alias enim non esset sapientissimus Legis-

lator, nec esset Benignissimus Dominus, si propter transgressionem illorum, in æternum homines puniret. Nemo enim dicet, illum sapientissimum esse Dominum, & simul benignissimum, qui servo suo præcipit id quod absolute præstare non potest. V. G. ut Solis cursum sistat, vel ut Cœlum dígito tangat, & propter hoc quod præceptum sibi impossibile executioni non daret, gravissimis pœnis, & exquisitis tormentis eum puniret, ac excruciaret. DEUS autem est sapientissimus Legislator, & simul summae, imò infinitæ bonitatis, & Benignitatis. Ergo nobis non proposuit talia præcepta, quæ à nobis, gratiâ illius adjuvante, observari non possint. Ergo falsum dogma fidei est omnium Novatorum, quod præcepta DEI impossibile sit à nobis, adjuvante illius gratiâ, observari.

Exemplum Secundum est. DEUS est summæ bonitatis. Ergo nihil admittendum est in DEO, quod repugnat ipsius

ipsius bonitati. Repugnaret autem ipsius summæ bonitati, si aliquem ante prævisa ulla illius demerita, purè ex sua voluntate, præordinaret ad æternam damnationem, imò hoc si-ne illum crearet. Ergo talis reproba-tio in DEO non datur. Ergo falsum est hoc dogma Calvinistarum, adeò-que rejiciendum, unà cum sua secta, quæ illud tenet.

Exemplum Tertium sit. DEUS est essentialiter verax, & omnipotens, & nihil apud eum est impossibile. Ergo, cùm Christus (qui utique simulerat De-us) porrigendo in ultima Cæna panem, & vinum Discipulis suis, dixerat: *Hoc est Corpus: Hic est San-guis meus.* Vel non dixit verum; & sic non est essentialiter verax. Vel non potest id facere, ut panis trans-eat in illius Carnem, & Vinum in Sanguinem; & sic non est omni-potens, adeòque nec DEUS. Est au-tem DEUS, ergo essentialiter verax, ac omnipotens. Et certè si DEUS po-

tuit ex nihilo creare Mundum , & Christus in Nuptiis Canæ Galileæ trāsmutare Aquam in Vinum, potuit & panem , ac vinum transmutare in Corpus suum, ac Sanguinem suum. Ergo hoc dogma Fidei Calvinistarum , qui negant in Eucharistia realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi , est falsum Plura similia exempla adducemus in sequentibus.

CONSIDERATIO XV.

IN hoc examine dogmatum Fidei alienarum Religionum à Fide Romano Catholica, reperi in iis plurima paradoxa, prorsus incredibilia, & rationi rectæ penitus difformia. Exemplum sit. Docent inter reliqua, hoc etiam: quod omnia peccata sint æquales, nec ullum dari peccatum, quod sit veniale; unde sic arguebam; Verbum otiosum est peccatum; cùm Christus Dominus minetur, de omni verbo otioso dandam esse nobis in die Iudi-

Judicij rationem. Ergo secundum hoc
 Dogma Novatorum, est æquale re-
 liquis peccatis. Ergo & peccato blas-
 phemiæ. Ergo & peccato increduli-
 tatis. Ergo & Apostasiæ à Fide Chri-
 sti. Si est æquale his peccatis pecca-
 tum otiosi verbi; Ergo est etiam æ-
 qualis culpæ. Si est æqualis culpæ;
 Ergo æqualem meretur poenam. Si
 æqualem meretur poenam; Ergo eti-
 am æqualem habet remissibilitatem.
 Ergo æquè difficulter remittitur, ac
 alia peccata. Et tamen Christus de
 poenis, & remissibilitate peccatorum
 longè aliud docuit; Nam dicit. *Qui*
*irascitur Fratri suo, reus erit judi-
 cio. Qui dixerit: Rata, reus erit
 consilio. Qui dixerit: Fatue, reus
 erit gebennæ ignis.* Ergo non æ affe-
 tus erga proximum meretur quidem
 aliquam poenam; sed majorem ver-
 bum acerbum, & adhuc majorem
 verbum contumeliosum. Deinde a-
 pud S. Joannem dicitur. *Est pecca-
 tum ad mortem.* Ergo est peccatum

*Matth. 5.
¶. 22.*

*Ep. 1. 5.
¶. 16.*

aliquid, quod non sit ad mortem. Ergo non omnia peccata sunt aequalia. Præterea est peccatum, quod neque in hoc, neque in alio sâculo remittitur, quale est peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo aliqua peccata sunt, quæ in hoc vel in alio sâculo remittuntur. Ergo non est æqualis remissibilitas in omnibus peccatis. Ergo nec æqualis culpa. Ergo non omnia peccata sunt aequalia. Demùm in scriptura habetur. *Septies enim cadit justus & resurget; impii autem corruent in malum.* Ergo sunt aliqua peccata, quæ non tollunt habitualem justitiam; & alia, quæ eandem tollunt, Ergo non omnia peccata sunt aequalia. Ergo Sectam, vel Religionem illam, quæ hoc falsum Dogma tenet, merito judicavi esse rejiciendam.

CONSIDERATIO XVI.

Juxta eosdem, omnia nostra bona opera sunt peccata. Et juxta eosdem

dem omnia peccata sunt æqualia. Ergo omnia nostra bona opera sunt æqualia peccata reliquis peccatis: Igitur orare DEUM erit æquale peccatum, ac blasphemare contra DEUM: Et Eleemosynam dare pauperi, æquale peccatum, ac eundem pauperem spoliare: & injustè possessam rem restituere proprio illius Domino, erit æquale peccatum, ac eandem apud se invitò Dominò retinere.

CONSIDERATIO XVII.

Hinc optarem scire. Quidnam deberet dicere, ac suadere aliquis Prædicans alicui consulenti se: utrùm rem alienam, quam injustè habet, debeat proprio illius Domino restituere? Nam si dicat: ita. Posset is reponere quærendo: an restituere rem alienam sit opus bonum? Si is affirmaret; posset iterum proponēs subsumere: Juxta nos omnia nostra bona opera sunt peccata; Peccata au-

tem iterum juxta nostram doctrinam sunt æqualia omnia: Ergo siue rem alienam restituero, siue retinuero, æ quale erit peccatum, nec unum magius altero. Quorum utrumque judicavi esse absurdum, & consequenter & sectas, has doctrinas tenentes, ac docentes.

CONSIDERATIO XVIII.

DEUS est summa Sanctitas. Si ita, Ergo est maximè remotus à peccato. Si hoc, Ergo maximè odit peccatum; si hoc, ergo nullatenus illud vult fieri; si hoc, ergo illud non mandat fieri. Si hoc, ergo nullatenus illud causat. Ergo DEUS non est Auctor, & causa peccati, volens, suggerens, efficiens, jubens, operans, & in hoc impiorum scelerata consilia gubernans, ut docent Calvinistæ, & Lutherus quoque docuit.

CONSIDERATIO XIX.

Revolvi quām plurimos Historicos, tam Politicos, quām Ecclesiasticos, Annales item variarum Gentium, ac Nationum, & diligenter exquisivi, an alicubi ante sēculum decimum quintum fuerit aliqua mentione Lutheranicæ, aut Calvinisticæ doctrinæ, & aliarum modernarum Sectarum. Legi item ad hunc eundem finem multa antiquissima scripta, & annotationes rerum memorabilium, quæ singulis sēculis contigerunt: & nulla mentionem, vel vestigium illarum invenire potui. Unde conclusi, has Religiones planè novas esse, adeoque non esse Apostolicas, nec à Christo & Apostolis traditas, sed ex cerebro Authorum harum Sectarum noviter excoigitatas, & consequenter repudian-das.

CONSIDERATIO XX.

MEmini quidem, me adhuc in Juventute legisse cujusdam Calvinistæ libellum sub titulo *Itinera-*
rii, in quo conatur demonstrare lon-
gissimum Catalogum hunc in finem
contexendo, quod statim à Nativita-
te Christi, singulis saeculis fuerint a-
liqui, qui tenuerint doctrinam Lu-
theri & Calvini; sed pessimo succe-
su, & irrito conatu tentavit id præsta-
re. Primò quidem ex eo, quod il-
los, quos adducit in dicto Catalogo,
faciat idem sensisse, tam cum Calvi-
no, quam cum Lutherò, adeoque
fuisse Lutherò-Calvinistas; cùm ta-
men nec ipse Lutherus, & Calvinus,
nec ipsi Lutherani, & Calvinistæ in-
ter se in doctrina Fidei convenient;
sicut ergo defacto nemo se fatetur esse
Lutherò-Calvinistam, sed vel Luthe-
ranum, vel Calvinistam, ita neque
ab eo citati poterunt dici Lutherò-

Cal-

Calvinistæ. Non est autem maior ratio, cur soli Calvinistæ trahant illos pro se, quām soli Lutherani, & ē contrā; imò eosdem æquali jure possent pro sua secta trahere etiam Annabaptistæ, & alij Sectarii. Ergo exinde non potest deduci, aliquem fuisse ante Lutherum, vel Calvinum, qui integrè ea omnia credidisset, tenuisset, aut docuisset, quæ tenuit, credidit, ac docuit Lutherus, vel Calvinus, aut quæ tenent Lutherani vel Calvinistæ. Secundò; quia ex eo præcisè illos, quos citat, facit Lutherο-Calvinistas; quia invenit in illis unum aut alterum verbum, aut propositionem, quam etiam Lutherani, & Calvinistæ tenent. Quod si sufficeret, potuisset & Mahometem, & Judam Iscariotem, & Arium, ac alios Hæresiarchas ponere ad Catalogum Lutherο-Calvinistarum. Nam & hi tenuerunt aliquid, quod tenent Lutherani & Calvinistæ. Sic Mahometes tenebat, dari solum unum DEUM. Arius

riis tenebat Concilia Ecclesiæ errare posse, & Nicenum Concilium errasse ipso facto in sui condemnatione. Ergo sequeretur, quod Mahometes, & Arius fuerint Luthero-Calvinistæ. Tertiò, quia eos ponit in dicto Catalogo, quos constat, usque ad finem vitæ vixisse in Fide Romano-Catholica, aliquos etiam ex Pontificibus ipsis, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Monachis, etiam talibus, qui scriptis suis veritatem Catholicæ Fidei propugnavere: sed quo fundamento? planè nullo. Nam S. Gregorium ex eo probat fuisse Luthero-Calvinistam, quia coarguebat vitia Sacerdotum; Irenæum ex eo, quod Scripturam sacram collaudabat. Polycarpum ex eo, quod Apostolicam doctrinam tenuerit. Bellarminum ex eo, quod malos Catholicos de peccatis corripiebat. Ex quibus nullatenus sequitur hæc conclusio. Ergo fuerunt Luthero-Calvinistæ. An non enim & moderni Romano-Catholici,
 &

& Zelantes Concionatores Sacerdotum malam vitam detestantur? malorum Catholicorum peccata exprobrat? Scripturam sacram ac doctrinam Apostolicam commendant? & tamen non sunt Lutherio-Calvinistæ.

CONSIDERATIO XXI.

Longè melius Itinerarium ego in hac mea deliberatione confeci, percurrendo Hæreses singulorum sæculorum à nato Christo. Inveni siquidem omnes ferè articulos Fidei, quos tenent Lutherani & Calvinistæ, jam fuisse doctos ab aliis Hæresiarchis, & damnatos ab Ecclesia. Non quod aliquis fuerit, qui omnia illa docuerit, quæ docuit Lutherus, vel Calvinus, talis enim nullus omnino fuit; sed diversi diversos, ac diversis sæculis, & temporibus. Indè tamen non potui concludere: quod Lutherana doctrina, vel Calviniana fuerit ante Lutherum vel Calvinum. Sed feci

fecj legitimam conclusionem. Ergo Lutherana, & Calviniana Religio est consarcinata ex variis hæresibus jam pridem ab Ecclesia damnatis, non nullis noviter adjectis, non secùs a vestis Mendicorum ex multis frustis antiqui, & diversi coloris panni, in Foro scrutario comparatis & collectis, superadditis aliquibus alijs frustillis ex novo panno, & colore, & qualitate prorsus improportionatis.

CONSIDERATIO XXII.

POst hæc, assumpsi in considerationem, signa, & notas veræ Christi Ecclesiæ: nempe quòd sit *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica*; Et nullam ex his reperire potui in reformatis, seu potius deformatis istis Ecclesijs. *Non Unitatem*; cùm in multis, iisque præcipuis articulis Fidei inter se discrepent, ac singulæ rursus in alias subdividuntur de rebus Fidej sentētias, & opiniones. *Non San-*
ctita-

Etitatem. Cùm enim Sanctitas requiriat, ut quis declinet à malo, & faciat bonum Id certè hæ Religiones non præstant, quæ non tantùm non docent declinare à malo, Præcepta DEI servando, sed tenent: impossibile esse eadem servare, & non tantùm non suadent bonum facere; sed docent bona opera ad salutem æternam prorsus esse inutilia, imò & peccaminosa, nec ullum Sanctum nominare possunt, qui fuerit illorum Fidei. Nō quòd sit Catholica, seu Universalis; quia non annunciatur in Universo Mundo sicut Romana, ut testatur S. Paulus. Nec quòd fuerit semper; quia non fuit ante Annum 1515. Sed nec defacto est ubique; solum enim delitescit in pauculis provinciis Europæ, quæ ipsa est minima pars Orbis, respectu Africæ, Asiæ, & Americæ, in quibus de his Religionibus nihil penitus scitur, imò nec auditur. Non quòd sit Apostolica; quia non est fundata ab Apostolis, nec Pastorum su-

orum, & doctrinæ suæ continuam successionem possunt deducere usque ad Apostolos. Hæc autem omnia signa sunt in Ecclesia Romano-Catholica. Ergo Jure optimo illam omnibus aliis prætuli. Certum enim est, neminem posse bonâ fide permanere in tali secta, in qua nequit exhibere certiora signa, & notas veræ Ecclesiæ, quām habeant cæteræ Religiones, ac Sectæ; consequenter talem fore inexcusabilem coram DEO. At qui omnes alieni à Fide Romano-Catholica, nequeunt hoc ostendere; ergo bonâ Fide non possunt permanere in suis sectis, erūntque inexcusabiles in eo coram DEO. Quæro enim ex Lutherano, (idē est de quovis alio à Romana Fide alieno;) an alienas à sua Secta Religiones judicet esse veras, vel falsas; non potest prudenter judicare, eas esse veras; quia Apostolus ait: *Unus Dominus, una fides Cœ.* Præterea si hoc judicet, ergo ipsius Secta erit falsa, utpote ab ali-

is, quas veras esse censet, damnata. Sed neque prudenter judicare potest, eas esse falsas; quia sic loquendo, etiam ipsius Secta erit falsa; cum non possit majora, ac certiora signa Credibilitatis producere pro sua Ecclesia Lutherana, quam aliæ Sectæ; sed neque tanta, quanta habet Ecclesia Romano-Catholica.

CONSIDERATIO XXIII.

COnjeci deinde oculos ad initia Conversionum populorum, nationum, & Regionum, ex Gentilismo ad Fidem Christianam, quæ sanè mirabilis fuit, & non nisi Divina opere, ac auxilio fieri potuit, propter tot obstacula potentissimorum Regum, Imperatorum, & Tyrañorum, eorumque saevitatem, ac ipsorum Idololatrarum pertinaciam, & obstinationem, præsertim cum Fides Christiana suaderet illis ea, quæ sunt carni, & sanguini, ac principiis Mundanis

omnino contraria, & proponeret Mysteria altissima, quæ solo naturali lumine nequeunt comprehendendi, & quidem per Prædicatores imbelles, ac inermes. Investigavi dein, quænam fuerit illa Religio, ac Fides? & clarè deprehendi, illam fuisse Romano-Catholicam, & quidem per viros Apostolicos, à Romanis Pontificibus ad prædicandum Evangelium submissos. Nam quòd primis quinque sæculis non fuerit alia Christiana Religio, ad quam conversæ fuerint gentes, ipsimet adversarii non diffitentur. Sexto verò sæculo conversa est Anglia per S. Augustinum Monachum, missum cò à S. Gregorio Magno. Septimo per SS. Willebrordum, Suitbertum, & Bonifacium Frisia, Batavia, & Germania. Octavo Moravia per SS. Cyrillum & Methodium. Nono per S. Anscharium Suecia, & Dania. Decimo per SS. Adalbertum, & Piligrinum Slavi, Ungari, & Poloni; Vandali item sub auspiciis Joannis Papæ

XIII. Undecimo Russia & Pomerania per S. Brunonem ex Monacho Episcopum, & Martyrem. Duodecimo Livonia per S. Mainardum: Norvegia per Nicolaum Brakpier Monachum, qui fuit Pontifex Maximus nomine Hadrianus IV. & Pomerania per S. Othonem. His autem postremis duobus Sæculis in Indiis Orientalibus quam plurimæ Provinciæ, & longè plures, quam tota Europa numerat, conversæ sunt ad Fidem Christianam, eamque non aliam, quam Romano-Catholicam, & indies plures, ac plures ad eandem convertuntur. At verò nullam gentem ex paganis reperi conversam fuisse ad Lutheranam, vel Calvinianam, aut aliam ex novis moderni temporis sectam; sed solùm ex tepidis Catholicis, idque non alio ex fine, quam pro libertate carnis, & vitæ licentia. Præstabat igitur mihi Romano-Catholicam Fidem potius, quam aliquam ex reliquis moderni tem-

poris sectis eligere.

CONSIDERATIO XXIV.

EX occasione hujus considerationis occurrit mihi alia observatio. Nempe: *Quod DEUS omnes Apostolos, & viros Apostolicos, quos c- legit, & misit ad conversionem populorum, ac gentium, ornaverit dono magnorum miraculorum juxta sua*

c. 10. §. 7. Divina promissa, ut habetur apud Matth. Euntes(ait Christus ad suos Discipulos) prædicate, mortuos resuscitate, leprosos mundate, Dæmones ejicite, &c. Et Marci ultimo: Illi vero profeti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Antesignani autem modernarum novarum se- ðtarum, esto glorientur, se missos à DEO tanquam Reformatores suæ Ecclesiæ; nullum unquam tamen signū, ac miraculum ediderunt in confirmationem suæ doctrinæ, vel suæ à DEO mis-

missionis: & quidem, ut quidam ait, nec unicum claudum equum sanare potuerunt. Quomodo ergo poteram credere, illos missos à DEO hunc in finem? præsertim cum Salvator nos præmonuerit, ut attendamus nobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium (Scripturam & Evangelium semper in ore habentes) intus autem sunt Lupi rapaces. Maximè verò, si ii contrariam sibi adin vicem doctrinam prædicent (ut fecit Lutherus, & Calvinus:) uterque enim veritatem docere non potuit, cō sequenter nec mitti à DEO uterque ad reformandam Ecclesiam: neuter autem illorum majora argumenta aut signa protulit à DEO suæ missionis & doctrinæ, quam alter. Igitur neutri judicabam esse credendum.

CONSIDERATIO XXV.

R Ursus consideravi vitas, & mores Auctorum harum Religio-

num, & feci comparationem eorum
 cum iis viris Apostolicis, qui Gentiles
 ad fidem Romano - Catholicam
 converterunt. DEUS bone, quan-
 tam inter hos vidi disparitatem! tan-
 tam scilicet, quanta est inter Cœlum,
 & Terram. Hi namque erant viri
 DEO uniti, devotioni, ac pietati ad-
 dicti, virtutibus magnis exornati, so-
 brii, humiles, continentes, rerum
 temporalium, & voluptatum carnis
 contemptores, solam DEI gloriam
 quærentes, & zelum animarum in-
 tendentes. Uti ex vitiis illorum, &
 scriptis constat. Illi verò ventri, &
 carni dediti, à Fide Apostatae, voti-
 fragi, impii, superbi, non aliud,
 quam carnis voluptates, & vitæ li-
 centiam docentes, ut pariter ex illo-
 rum vitiis, & scriptis clarissimè patet.
 Quid enim Luthero, & Calvinio fuit
 superbius, & arrogantius? Qui se to-
 ti antiquitati præferebant, suam in-
 terpretationem Scripturæ Sacræ, In-
 terpretationi omnium Sanctorum Pa-

trum,

trum, & totius Ecclesiæ anteponebant. Cujus scripta magis spurca, quam Lutheri? magis impia, & blasphemæ, quam Calvini? Ita ut jam & Sectatores talium scriptorum pudeat.

CONSIDERATIO XXVI.

PRO magno stimulo fuit mihi ad Fidem Romano - Catholicam præ aliis modernis Religionibus amplectendam etiam illud, quod in ea nunc quoque reperiantur quam plurimi, qui zelo animarum ducti, relictis, ac spretis omnibus vitæ hujus commodis, amicis & cognatis, dignitatibus ac honoribus, & aliis Mundi bonis, quæ in re, vel spe habent, non obstantibus minis Tyrannorum, & certissima quasi nece à barbaris inferendæ, promptissimè & summa cum alacritate vadant ad remotissimas etiam gentes pro illarum conversione, Evangelium Christi eis prædicando, & ad Ecclesiam Catholicam easdem

adducendo, esto pro comperto ha-
beant, se fore inter eas cum Sancto
Paulo, *in laboribus plurimis, in car-*
ceribus abundantius, in plagis supra-
modum, in mortibus frequenter.

ad Corint. 11. v. 12. Quod certò in Prædicantibus aliarum
Religionum non reperi. Unde con-
clusi, eos verè Spiritu DEI agi, non
autem hos. Majorem siquidem hac
dilectionem nemo habet, ut animam
Joan. 15. suam ponat quis pro amicis suis.
v. 13.

CONSIDERATIO XXVII.

Observavi & valde admirabar eti-
am illud: *Quomodo inter Ro-*
mano-Catholicos multi divitiis afflu-
entes, & amplissimas quoque hære-
ditates, ac omnes vitæ comoditates ha-
bentes etiā magnarū Familiarum, non
tantū Nobilium, sed & Baronum,
Comitum, Marchionum, Principum
Filii, ac Filiæ, spretis omnibus deli-
ciis, ac voluptatibus, ad pauperes,
& austeros Religiosorum diversos or-
dines

dincs, sponte, & sœpè non nisi magnis obstaculis perruptis, tanto numero convolent, præcisè solius DEI amore, & securitatis majoris salutis animæ suæ: At verò in aliis novis Religionibus vix ullus magnæ Nobilitatis, vel conditionis valde honestæ dignatur statum Prædicantium amplecti. Quod non ideò dico, quasi Deus esset acceptator personarum; cùm constet, Christum rudes, ac simplices piscatores in Apostolos elegisse, sed solum indè colligo, quod specialis DEI gratia in illis operari debeat; adeòque & Fides illa vera, in quam singulares Gratias DEUS suis confert.

CONSIDERATIO XXVIII.

MEmini, cùm adhuc essem Juvenis, duos Prædicantes Lutheranos me præsente mentionem fecisse Adolescentis cujusdam bonæ Indolis, mihiique notissimi. Ac, cùm unus

unus ex illis hanc conjecturam de illo fecisset: Hic adolescens vitam ducet cælibem, & continentem, quantum ex illius indole licet conjecturare; Alter mox subjunxit: optimè sanè faciet; continentia enim, & cælibatus est magnum DEI Donum, & specialis gratia. Ego tunc adhuc planè Juvenis, & quidem Lutheranus existens, apud me tacitè hanc illustrationem cum admiratione feci; Quomodo fieri potest, ut, cum nostri Pastores dicant se Reformatores Ecclesiæ, & Evangelii purissimi prædicatores, & continentia, ac cælibatus sit Donum DEI singulare, ac specialis gratia, DEUS hoc Donum, & hanc gratiam nulli Prædicantium cōferat? Prædicantes siquidem cælibem vitam ducere nullibi est videre, quin nec audire quidem. Et viceversa, quomodo DEUS hoc donum, & hanc gratiam multis Papistis, quos nos idololatras esse dicimus, confert, apud quos tam multæ Virgines, Mōnia-

niales, Religiosi, & Ecclesiastici vitam continentem, & puram ducunt. Debet igitur illorum Religio magis grata esse DEO, quam nostra; quoniam aliter quis non potest esse continens, nisi DEUS det ei donum hoc. Sæpius dein mihi in maturiori ætate hoc dictamen in memoriam recurrit, ac tandem etiam ad amplectendam Fidem Romano - Catholicam unum ex motivis fuit.

CONSIDERATIO XXIX.

EVolvi quam plurimos Auctores, qui contra Fidem, ac Religionem Romano-Catholicam scripsérūt, & illud signatè notavi, quod in omnibus suis argumentationibus id probare affatim conentur, quod Catholici non negant, sed ultrò admittunt: illud verò, quod Catholici pro dogmate Fidei tenent, oppugnando vix attingant. Exempli gratia: Adferunt copiosissimos Scripturæ Sacræ textus:

Quod

Quòd solus DEUS fit adorandus, & colendus cultu Divino. Hoc autem Catholicorum nemo negat; quia firma Fide credunt, peccatum Idolatriæ esse, creaturæ, cuicunque tandem, cultum Divinum exhibere. Adducunt multa Scripturæ testimonia, quæ honorifice loquuntur de Matrimonio. **Quid tum?** Hoc enim Catholici non improbant, imò Matrimonium inter Sacra menta numerant; hoc solùm cum S. Paulo tenent: **Quòd ad Cor. 1. c. 7. §. 38.** qui Matrimonio jungit Virginem suam, bene faciat; qui non jungit, melius faciat. Similiter merita Christi de prædicant; ipsiusque Satisfactionem pro peccatis nostris. **Quid inde?** Hæc enim merita Christi, etiam Catholici, infiniti valoris esse docent, & Satisfactionem Christi sufficere pro totius mundi peccatis: neque ullum hominem posse salvare, absque gratia, & Meritis Christi. Homo namque non ex viribus naturæ suæ, sed cum, & ex gratia Christi vitam æternam pro-

promeretur. Quid amplius docent Catholici? id quod S. Petrus, Dum ait: *Satagit, ut per bona Opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Et S. Paulus: *ut recipiat unusquisque propria Corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Pari modo Fidem mirè extollunt Acatholici. Sed quid exindè? Etiā Catholici Fidem necessariam esse ad salutem, omni tempore credidere. Quid ergo credunt Romano-Catholici? Id, quod habet S. Jacobus: *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Et S. Paulus *Si habuero omnem Fidem, ita ut Monte transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Non me equidē latebat Lutheranorum docentium dogma. *Solam Fidem sufficere ad salutem æternā, & ad justificationem hominis:* quam doctrinam ipsi cum cæteris Acatholicis, utpote toti Ecclesiæ Catholicæ semper contrariam, ex sequentibus Sa-

cræ Scripturæ textibus deduxere. Ad
 ad Rom. c. 3. v. 28. arbitramur. hominem justificari per Fi-
 g. 36. dem sine Operibus legis. Et: Ipse ju-
 stus & justificans eum, qui est ex Fi-
 C. 4. v. 5. de JESU Christi. Et: Ei, qui non o-
 peratur: credenti autem in eum, qui
 justificat impium, reputatur Fides ad
 justitiam. Et paulò antè: Credidit
 Abram, & reputatum est illi ad ju-
 stitiam. In hac itaque Epistola ad
 Romanos unicè, ac ut plurimum se
 fundat doctrina Acatholicorum; cui
 quia è diametro videtur opponi Epi-
 stola S. Jacobi, eam Lutherus pro-
 priâ auctoritate è Canone divinorum
 Librorum expunxit, & Paulino tex-
 tui: arbitramur hominem justificari
 per Fidem, particulam solam addidit.
 An non hoc pro Libitu est sibi fabri-
 care Fidei dogmata? sed pergamus.
 arti. 20. Hinc & Confessio Augustana allegat il-
 C. 2. ad Eph. lud S. Pauli: gratiâ salvi facti estis per
 & c. 2. ad Fidem: & hoc non ex vobis, DEI do-
 Galut. num est, non ex Operibus.

Sed clara & facilis est Responsio;

ad hos, & similes textus; nam S. Paulus scribens ad Romanos & Galatas, lucrari laboravit tam Gentiles, quam Judæos. Gentiles putabant ex operibus suis, quæ faciebant dictante lumine naturali, adeoque ex viribus propriis, se esse Justos: Judæi vero gloriantes lege suâ Cæremontali, justos se credebant ex Operibus legis Mosaicæ, v. g. ex Circumcisione, ex suis sacrificiis, crebris lotionibus &c. His utrisque semet Paulus opposuit, docens: *nec Opera bona naturæ, seu Moralia Gentilium: nec Opera Cæremontalia legis Mosaicæ, justificare hominem; sed necessariam esse Fidem in Christum.* Quod ipse Paulus innuit, dum ait: *scientes autem, quod non justificatur homo ex Operibus legis, nisi per Fidem JESU Christi.* Atque hoc modo rectè conciliatur Epistola Pauli ad Romanos, & Epistola Jacobi, quod Luthero, & aliis videbatur impossibile. Scriptura enim, ut pote Verbum DEI, nequit sibi con-

C. 2. ad Gal.

tradicere , sed si quæ appareat contradic̄tio in textibus , j' xta sensum Ecclesiæ conciliarj debent . Negat ergo Paulus *Opera justificare* , sed id intellicit de Operibus naturalibus , & Cæremontialibus , sine Fide & gratia Christi factis . Vicissim affirmat Jacobus ad justificationem requiri Opera ; sed loquitur de Operibus Fidei , & gratiæ Christi , seu de Operibus , quæ procedunt ex Fide , non quæ sit mortua , seu purè speculativa , sed viva , hoc est , quæ animata est Charitate , consequenter est Fides practica , utens Mediis per Fidem ostensis . Hoc ipsum

L. 53. q. 76. S. Aug. declarat , Paulum nempe loqui de Operibus , quæ Fidem antecedunt , quæ utique supernaturaliter bona non sunt ; cùm Fides sit fundatum Spiritualis ædificii . At verò Jacobum loqui de Operibus , quæ Fidem sequuntur , & fiunt ex Fide in Christum cum gratia supernaturali . Atquie hæc opera juxta Scripturam æquè disponunt , & requiruntur ad ju-

stificationem hominis, sicut requiri-
tur Fides; Unde sciendum, quòd Scri-
ptura non omnia requisita ad justifi-
cationem in uno vel altero loco præ-
scribat, sed in uno, v.g. Fidem, in
altero Spem, in tertio Charitatem,
in quarto remissionem injuriæ nobis
illatæ, in quinto aversionem à pecca-
to seu dolorem &c. requirit, ac præ-
scribit.

Demùm Acatholici, contra ma-
lam vitam, aliquorum Sacerdotum
invehuntur: at quid indè etiam profi-
ciunt? Hanc siquidem etiam omnes
Catholici detestantur; nihilominus
tamen continentiam quoque, ac puri-
tatem Angelicam mentis ac Corporis
in quam plurimis admirantur.

CONSIDERATIO XXX.

IN iisdem Auctòribus, uti etiam in
aliorum Prædicantium concioni-
bus, & discursibus observavi; Quòd
calumniis potius oppugnant, coram
F 2 plebe

plebe denigrent Ecclesiam Romano-Catholicam: & ex hoc modo agendi conjeci manifestè, quòd deficiant in argumentis ad eandem oppugnandam. Quando enim devenitur in probationibus, & disputationibus ad calumnias, infallibile signum est, quòd in probatione argumentans succumbat. Deinde calumniæ semper sunt coniunctæ cum falsitatibus, & mendaciis. Quomodo ergo per ipsa mendacissima mendacia eruetur rei veritas? At qui hujusmodi calumniæ sunt: V. G. Quòd Catholici ita adorent Sanctos, sicut ipsum DEUM: Quòd Pontificem habeant pro DEO: quòd in Sanctorum meritis, & suis propriis, ponant majorem spem, & fiduciam, quàm in meritis Christi Domini: & sexcenta similia figmenta. Non potui igitur in mendaciis, & calumniis fundamenta meæ fidei ponere: igitur stauti tecum, quòd ipsemet velim rei veritatem indagare; qua comperita, rejici, tanquam fraudulentas,

omnes has novas Sectas.

CONSIDERATIO XXXI.

Recordor optimè, quòd cùm in adolescentia mea interfuissem cuidam explicationi Theologicæ apud Calvinistas, quidam ex Auditoribus coeteris intelligentior proposuerit publicè Professori in persona Catholici sequens magni ponderis argumentum: Certum est Scripturam Sacram ante Lutherum & Calvinum existisse, & quidem ferè 1500. annis; neque enim cum illis Biblia nata sunt. Quæro jam, undè illi Sacram Scripturam acceperunt? utique à Catholicis, cùm in Romano-Catholica Fide nati, educati, ac literis exculti fuerint. Quæro amplius & fortius: An eò tempore, quòd ipsi Scripturam ab Ecclesia acceperunt, an inquam *in eo tunc*, Ecclesia Romano-Catholica, vera Christi Ecclesia fuerit, vel verò falsa ac erroribus depravata? si fuit ve-

ra, ergo damnandi sunt Lutherus & Calvinus tanquam desertores veræ Christi Ecclesiæ. Si autem fuit tunc jam falsa & erroribus depravata, ergo etiam Scriptura nostra erit falsa & erroribus depravata, consequenter & Fides ac Confessio nostra, quæ super hanc Scripturam fundata est, erit falsa; quia hanc Lutherus & Calvinus accipit à falsa & erroribus depravata Ecclesia, utpote non habente verum ac purum DEI Verbum. Accedit: quod negent Catholici, Ecclesiam Christi posse errare in rebus Fidei, & clarissima Scripturæ Verba pro se adferant, eam errare non posse, ergo si semel Romana Ecclesia fuit vera Christi Ecclesia, nempe tempore Pauli Apostoli, quod neque nos negare possimus, ergo semper manet Vera, & manebit in finem vera: Nam si tota Ecclesia Romano-Catholica, quæ scilicet 1500. annis, ante Lutherum & Calvinum duravit, & quæ omnium SS. Patrum, Martyrum, Confessorum, Docto-

Doctorum, ac totius Antiquitatis testimonio fulcitur; nihilominus tamen per nos errare ac in Fide deficere potuit: quanto magis & à fortiori credibilius ac credibilissimum esse debet, Lutherum & Calvinum in puncto doctrinæ Fidei reverè errare, atque errasse; utpote publicâ auctoritate & testimonio Antiquitatis carentes, homines solum privatos, miraculis & Vitæ sanctitate destitutos, ad invicem sibi contradicentes, sc̄que mutuò damnantes, ac utrósque deinde ab universa Ecclesia Christiana, propter ipsos congregata, in Generali Concilio Tridentino, anno 1545. inchoato, & anno 1563, finito, damnatos ac pro Hæreticis declaratos. Quod auditō, Professor Calvinista substitutus, & aliquantulum hæsit. Deinde verò dixit. Idem argumentum à se aliquando cuidam suo Professori in Anglia fuisse propositum; sed ab eo pro responso se non aliud accepisse, quam quod argumentum illud sit pla-

nè insolubile, ac proinde Catholicis ad illud directè nunquam esse respondentum, sed solum eludendum. Vehementer scandalizatus fui in hoc responsu. Per elusiones enim argumenta non solvuntur, nec ad cognoscendam veritatem rei pervenitur. Et iam tunc judicabam, Acatholicos etiam circa articulos Fidei non laborare de rei veritate.

CONSIDERATIO XXXII.

ILlud quoque omnes Religiones à Romano-Catholica alienas, mihi suspectissimas de falsitate reddidit. Quod, licet semper Catholicos ad Scripturam provocent, ipsimet tamen Scripturam Sacram pro libitu suo trahent, partim integros libros ex Canone Sacrorum Librorum eliminando, partim mala fide vertendo, partim pro suo arbitrio juxta dictamē uniuscujusq; privati Spiritus interpretādo. Cūm tamen Romano-Catholici eandem

dem versionem omnes habeant, iis-
dem semper Bibliis omnes utantur,
quibus usus est Ecclesia à mille, & tre-
centis, ac amplius annis: neque e-
am juxta suum proprium judicium
explicant, sed sequuntur interpreta-
tionem veterum Sanctorum Patrum,
ac totius Ecclesiæ, de qua Christus
dixit: *Si quis Ecclesiam non audierit*, Matth. 13.
sit tibi sicut Ebnicus, & Publicanus. §. 17.

CONSIDERATIO XXXIII.

UT nihil intentatum relinquerem, legi consideratè parvulum Catechismum Lutheri, quo Lutherani in Hungaria defacto utuntur, eumque contuli diligenter cum Catechismo ejusdem Lutheri Anno 1567. Wittembergæ impresso: & reperi, eundem in prima Editione Wittembergensi differre toto Cœlo in quām plurimis articulis Fidei. Nec satis capere potui tantam mutationem, nisi mihi occurisset, quòd Novatores

moderni pro libitu mutent Religio-
nis suæ articulos, alios tenendo in u-
na Provincia, alios in altera, alios
in uno sæculo, alios in altero. Quòd
si quis huic tantæ diversitatí quoad ip-
sos Articulos fidei inter hos duos Ca-
techismos fidem adhibere nolit, con-
ferat simul utrumque: id autem fa-
cile consequi poterit, cùm Wittem-
bergensis ille Catechismus anno 1701
sit Tirnaviæ in Hungaria impressus.
Contra verò, cùm peragrarem di-
versas Provincias Catholicorum, nul-
lam in eo, in Catechismis inveni quo-
ad Articulos fidei discrepantiam, sed
in omnibus omnino omnimodam
convenientiam.

CONSIDERATIO XXXIV.

Cum ergo viderem tantas diversi-
tates opinionum, etiam quoad
Dogmata Fidei, inter eos, qui se Au-
gustanam Confessionem profiteri di-
cunt, ipsam Confessionem Augusta-
nam

nam consideratè perlegere decrevi ;
 sed has tam diversas esse reperi , va-
 riis in locis , & temporibus impressas
 adeòque inter se differentes , ut , quæ-
 nam sit genuina Confessio Augustana
 apud me determinare non potuerim ;
 quia nec ipsi Professores Academiarū
 Lutheranicarum hac de re inter se
 conveniebant , donec una occasione
 Bibliothecam Cæsaream Viennensem
 visitarem , in qua Bibliothecarius Cæ-
 sareus inter alia exhibuit nobis , qui
 tunc simul eramus , illam ipsam in
 originali , quæ exhibita fuit à Melan-
 chtone Augustæ in Comitiis Imperia-
 libus Carolo Quinto Cæsari Anno 1530.
 Quæ in tantum differt ab aliis Editio-
 nibus Augustanæ Confessionis , ut ,
 nisi illis apponaretur Titulus *Augusta-
 nae Confessionis* , nemo diceret , esse
 Augustanas Confessiones . Unde in-
 tuli , modernam Religionem Luthe-
 ranorum non esse Augustanæ Confes-
 sionis Religionem , sed longè diver-
 sam ; ideo hanc omnino rejiciendam

judicavi. Cur verò neque illi originali acquieverim, inter alias rationes hæc etiam fuit: Quod hæc ipsa contineat in se plurima mendacia, & apertas contradictiones, quas fusè dedit Cardinalis Pazmanus in eruditio suo opere, Kalauz dicto à folio 415. usque ad folium 440.

CONSIDERATIO XXXV.

Consideranti mihi sæpiùs verba illa Christi Domini: *intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiofa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam!*

Mattb. 7. Et pauci sunt qui inveniunt eam. Item: Contendite intrare per angustam portam.

Luc. 13. Occurrit illico mihi, Religiones alienas à fide Romano-Catholica non esse hanc arctam viam,

*quæ ducit ad vitam, sed illam spatiostam, quæ ducit ad perditionem. Nā
juxta*

juxta harum doctrinam, satis est ad vitam æternam consequendam, si credat quis, se salvandum, aut prædestinatum ad eam: Quæ doctrina sanè contraria est illi, quam nobis præscripsit Christus per se, ac suos Apostolos. Nam interroganti illi, Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Matth. 19. v. 17. Respondit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* secundùm verò doctrinam, harum Religionum ad hāc interrogationem non respondetur: si vis ad vitam ingredi, serva mandata; hoc enim ajunt esse impossibile. Quid autem respondetur à Novatoribus? Si vis ad vitam ingredi, crede tantum, quod Christus pro te mandata DEI Patris adjimpleverit. Similiter S. Petrus: interrogantibus Judæis compunctis corde ex iis, quæ ab eo audiierunt. *Quid faciemus viri Fratres?* Et Respondit: Pœnitentiam agite, & ipsam Christus: ait: *Nisi pœnitenti- am egeritis, omnes similiter peribitis.* Luce 13. v. 3.

Ad. 3. Et rursus S. Petrus: pœnitemini igitur
 ¶ 19. & convertimini, ut deleantur pecca-
 ta vestra. Pariter & S. Joannes Ba-
 ptista suam prædicationem sic incho-
 avit. Pœnitentiam igitur agite; Item
 Matth. 3. facite fructus pœnitentiae. Quid au-
 ¶ 3. & 8. tem hæc nova doctrina ad interroga-
 tionem: An, & quomodo pœniten-
 tia sit agenda, respondebit? Hoc u-
 nicum: Crede tantum, quod remis-
 sa sint tibi peccata propter merita Chri-
 sti, & hoc solum sufficit. Quæro ul-
 terius ex iisdem: An debeam dimit-
 tere debitoribus, & condonare inju-
 rias mihi factas, si volo à DEO mi-
 hi remitti peccata? Quid responde-
 bunt? non aliud juxta suam doctri-
 nam, quam hoc non esse necessariū,
 sed satis esse, si credam, mihi dimis-
 sa esse peccata: Cùm tamen Christus
 Matth. 6. dicat: Si enim dimiseritis hominibus
 ¶ 14. & peccata eorum, dimittet & vobis Pa-
 15. ter vester cœlestis delicta vestra: si au-
 tem non dimiseritis hominibus, nec
 Pater vester dimittet vobis peccata ve-
 stra

Stra. Rursus pergo quærere, utrum
 per bona opera mereri possim vitam
 æternam? & respondebunt mihi ne-
 gativè, & dicent, solam fidem ad id
 sufficere: Cùm tamen Scriptura dicat,
Satagit, ut per bona opera certam<sup>2. Petri 1.
10.</sup>
vestram vocationem, & Electionem fa-
ciantur. Et S. Paulus: *Et reddet uni-*<sup>ad Rom. 2.
ad. 6.</sup>
cuique secundum opera sua. Et ite-
 rum: *Unusquisque propriam mercedem*^{ad Cor. 3.}
accipiet secundum laborem suum. U-^{ad. 8.}
 geo interrogando: possimne redi-
 mere peccata mea Eleemosynis? cùm
 Christus dicat: *Date Eleemosynam;*^{& Luca 11.}
ecce, omnia munda sunt vobis. Et ^{ad. 41.}
 Daniel: *peccata tua Eleemosynis re-*^{c. 4. ad. 24.}
dime, & iniquitates tuas misericordi-
is pauperum. Et respondere debebunt
 consequenter mentiendo: Nec id es-
 se necessarium, sed tantum crede,
 quod Christus pro te satisfecerit; &
 munda sunt tibi omnia: tantum cre-
 de, Christum Dominum pro te esse
 mortuum, & redimes peccata tua: So-
 la Fides ad hæc omnia sufficit, De-

mùm quæro, propter quæ peccata homines damnantur, & à cœlesti gloria excluduntur? Respondebit S. Paulus
 1. ad Cor. 6. v. 9. 10. Nolite errare: neque fornicarii, neq;
 idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari,
 neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum DEI possidebunt. Novatores autem respondebunt cum suo Lutheru (Postilla in Dominicam 8. post Trinitatem) *Sola incredulitas dñnat.* Ecce viam novam, eamque spatiosam ad Cœlum, qua nemo pervenit ad illud.

CONSIDERATIO XXXVI.

*E*X consideratione hujus controversiæ, an sola Fides sufficiat ad salutem, pro qua adstruenda Lutherus ad illum Textum S. Pauli *Arbitramur, hominem justificari per Fidem,* fraudulenter addidit per *solam* Fidem, venit mihi suspicio, an non etiam in aliis

ad Rom. 3. v. 28.

aliis Textibus Scripturæ Sacræ utan-
tur similibus dolis Acatholici; & re-
peri id, quod suspicabar. Nam idem
Lutherus in superiùs citatis verbis
Quapropter Fratres magis satagite,
ut per bona opera certam vocationem
vestram, & Electionem faciatis, in
sua versione totaliter omisit verba il-
la, per bona opera. Quia apertè ad-
versantur ejus errori, quo docet, bo-
na opera hominis non conducere ad
salutem. Calvinistæ plerique in E-
vangelio verba illa clarissima: *Hoc est* ^{2. Petri c. 22.}
Corpus meum, sic transmutarunt. *Hic* ^{1. v. 19.}
est Corpus meum, ut excluderent rea-
lem præsentiam Corporis Christi in
Eucharistia. Ob eandem causam, ubi
apud Joann. legitur. *Ego sum panis* ^{C. 6. v. 51.}
vivus, qui de cœlo descendit: pro voce
vivus, substituerunt *vivificans*; ut
intelligatur panis usualis. Et in Epist.
S. Jacobi verba illa, *Confitemini al-*
terutrum peccata vestra, Reforma-
*tore*s sic verterunt: *Confitemini pec-*
cata vestra erga invicem, ut sic elu-

dant Sacramentalem Confessionem,
 quam inde probant Romano-Catho-
 ad Hab. 3. lici. Et illud S. Pauli: *Honorabile con-*
 №. 14. *nubium in omnibus*, Novatores, ut de-
 fenderent Matrimonium etiam Sacer-
 dotum, verterunt sic: *Honorabile con-*
nubium inter omnes. Item, ex ver-
 Mattb. 25. bis illis Christi Domini: *Venite bene-*
 №. 35. 42. *dicti Patris mei, possidete paratum*
vobis regnum à constitutione mundi.
Esurivi enim, & dedistis mihi mandu-
care: Sicuti, & dedistis mihi bibere:
Hospes eram, & collegistis me. Illud
enim omisit Lutherus in sua versione;
 quia videbat, inde probari, opera
 Bona esse meritoria vitæ æternæ. O-
 mitto quām plurima alia his similia.
 Unde conclusi, harum Religionum
 antesignanos viam DEI in veritate nō
 docere, sed Scripturas mala fide ad
 suum sensum contorquere, & pro suo
 libitu truncare, ac mutare. Quomo-
 do igitur prudenter poteram illorum
 Religioni nomen dare?

CONSIDERATIO XXXVII.

Institui dein Analysim, & Synthesim circa discernendam verā Christi Ecclesiam à non veris, hac ratione: In Christianitate datur aliqua vera Christi Ecclesia (quam propositionem admittunt omnes omnino Religiones, & Sectæ, quæ sunt in Christianitate, præter hæreticos illos, qui vocantur *Expectantes*) Si datur Christi Ecclesia; Ergo hæc debebat institui ab ipso Christo; si ab ipso Christo, utique institui debuit sapienter: ipse siquidem fuit Sapientia æterna. Et, cum sapienter sit instituta, debebat institui durans stabiliter, iuxta ipsius Christi doctrinam, dum ait: *Sapientem virum esse, qui edificat domum Mat.7.24, suam super petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* Estque illa, de qua

Matth. 16. Christus dixit: *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* Si ita stabiliter est fundata, ergo non potuit deficere & cadere, sive per pluvias afflictionum, sive per flumina, & fluvios persecutionum, sive per ventos hæresum; alias enim fuisset fundata supra arenā, & non supra Petrā. Si non potuit deficere; Ergo fuit sēper visibilis. Et aliundē Christus fru-

Matth. 18. stra fideles suos monuisset: *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ebnicus, & Publicanus.* Quomodo enim possent aliquid dicere, seu proponere fideles Ecclesiæ invisibili, & irreperibili? Si fuit visibilis omnibus fidelibus; Ergo debuit propagari per Apostolos post Ascensionem Christi, utpote quibus dictū est à Christo: *Euntes in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quod etiam fideliter ii præstiterunt testante eodem Evangelista,

Matth. 16. *Illi autem profecti, prædicarunt ubi
n. 15. que
n. 20.*

que Domino cooperante, & sermonem
confirmante sequentibus signis: &
cum Fides per Apostolos ubique fuit
propagata, & per universum mun-
dum veritas illius prædicata, igitur fu-
it Universalis, seu Catholica. Si uni-
versalis, ergo & una. Et ideò apud c. 10. §. 16
Joann. dicitur *unum Ovile*, ad Ro-
manos *unum Corpus*. Ad Ephesios *u-*^{c. 12. §. 4.}
nus Spiritus. Si unum Corpus, & c. 4. §. 4.
unus Spiritus est Ecclesia; Ergo de-
buit habere etiam unum caput. Si
hoc; Ergo pro Capite visibili, post
Christi ascensionem, Ecclesiæ hujus
debuit à Christo constitui unus ex A-
postolis. Si unus ex Apostolis. Er-
go ille, cui Christus dixit: *Pasce O-*
Ves meas: Pasce Agnos meos: Item: *Joann. ult.*
tu vocaberis Cephas, id est Petrus. Et §. 16.
super hanc petram ædificabo Ecclesi-
am meam: & tibi dabo claves Regni
Cœlorum. Ergo Petrus constitutus erat *Mattb. 16.*
caput visibile Ecclesiæ à Christo fun-^{§. 18.}
datæ. Rursus quia Petrus non potu-
it semper vivere, & Ecclesia duratu-

ra erat semper, juxta illam proposi-
Matth. 28. tionem Christi : *Ecce ego vobiscum
¶. 26.*

*sum omnibus diebus, usque ad consum-
mationem sæculi, debuit habere in of-
ficio suo pastorali, cōque universali,
in doctrina Christiana alios successo-
res, & hi rursus alios : Ergo successio
hæc perpetua, & continuata Pastorū,
& doctrinæ est de ratione veræ Chri-
sti Ecclesiæ. Quia verò Petrus & alii
ejusdem Successores non poterant præ-
dicare Evangelium in universo mun-
do in sua persona, debebant habere
coadiutores in hoc sacro opere. Ideò
*Christus ipse, dedit quosdam (alios qui-
dem) Pastores & Doctores ad consum-
mationem Sanctorum, in opus Mini-
sterii, in ædificationem Corporis Chri-
sti, donec occurramus omnes in men-
suram ætatis plenitudinis Christi (nem-
pe in resurrectione,) ut jam non simus
parvuli fluctuantes, & circumferamur
omni vento doctrinæ, in nequitia ho-**

*ad Eph. 4. minum, in astutia ad circumventio-
¶. 11. 12. nem erroris. Demum quia Christus*

vocavit nos ad Ecclesiam suam, *ut in-* *ibid. §. 24.*
duamus novum hominem, qui secun-
dum DEUM creatus est in justitia, &
Sanctitate veritatis. Ecclesia Chri-
sti debet esse Sancta, hoc est, ad
Sanctitatem suâ doctrinâ instruere, &
saltem aliquas Personas Sanctitate il-
lustres in suo gremio continere. At-
qui hæc Christi Ecclesia ab ipso fun-
data, & per Apostolos propagata nō
est alia, quām Romano-Catholica.
Hæc enim per SS. Apostolos, Petrum
*& Paulum Romæ est inchoata & au-
 cta; hujus Fides erat eadem, quæ fu-
 it Apostolorum & nominatim S. Pau- *ad Rom. 1.*
*li, qui Fidem Romanam dicit esse Fi- *§. 12.**
dem suam, & Fidem suam esse Fidem
Romanam. Ergo est Apostolica. Hæc,
*teste eodem, anunciata fuit in uni- *C. 1. §. 3.**
verso mundo. Ergo est Universalis
seu Catholica. Hæc est fundata à Chri-
sto per Petrum in Petra. Ergo non
potuit deficere. Fuit semper & est vi-
sibilis, ad quam recurrebant omnes
*gentes, ad illam convertebantur ex**

Gentilismo omnes populi. Hæc habuit semper continuam Successionem Pastores totius Christianitatis à S. Petro inchoando, usque ad modernum Pontificem Clementem XI. Hæc tenet eandem omnino doctrinam Fidei per universum orbem. Ergo est una. Hæc habuit innumeros Sanctos, & Sanctas, Martyres, Confessores, Virgines, & docet fideles suos ad sectandam Sanctitatem declinando à malo & faciendo bonum. Ergo est *Sancta*, ergo & vera fides, vera Religio, vera Christi Ecclesia; Si vera, ergo sola, ergo hæc sola est amplectenda.

CONSIDERATIO XXXVIII.

Vicissim aliæ omnes Religiones à Romano-Catholica alienæ, simul & collectivè, sive singillatim sumptæ in doctrina sua, & dogmatibus Fidei plurimum differunt inter se; Ergo non sunt *una Ecclesia*. Non sunt propagatae per Apostolos, sed multis facu-

sæculis post tempora Apostolorum extortæ; Ergo non sunt *Ecclesia Apostolica*. Non sunt universales, nec sunt ubique, sed in pauculis duntaxat Provinciis, & quidem solius Europæ; Ergo non faciunt *Ecclesiam Catholicam*, seu universalem. Suorum Pastorum, & doctrinæ successionem non possunt altius referre, quam ad Lutherum; Ergo non habent continuam successionem Pastorum, & doctrinæ ab ipsis Apostolis. Nullum Sanctum suæ Religionis possunt nominare: Nec docent à malo declinare, vel bonum facere; imò tenent illud esse impossibile, & hoc inutile; Ergo non constituunt *Ecclesiam Sanctam*. Ergo nullum habent indicium veræ Christi Ecclesiæ. Ergo omnes & singulæ sunt rejiciendæ.

CONSIDERATIO XXXIX.

Contingit frequentissimè, ut inter Romano-Catholicos & Acatholicos,

licos, in aliqua controversia, non sit quæstio circa Textum aliquem Scripturæ Sacræ, an ille liber Scripturæ, ex quo is profertur, sit liber Canonicus? Nec an sit bona, & legitima versio; sed præcisè, quis sit illius sensus genuinus, & legitima interpretatio? Romano-Catholici interpretantur eum juxta mentem primitivæ Ecclesiæ, & veterum sanctorum Patrum. Circa eundem Acatholici comminiscuntur novas interpretationes, easque non solùm à primitivæ Ecclesiæ, & veterum Sanctorum Patrum interpretatione diversas, sed etiam inter se discrepantes, & oppositas, prout unicuique privatus suus Spiritus dictaverit. In similibus casibus sæpiùs anceps hæsi, cuinam explicationi, & interpretationj adhærere debeam? Sed re diligenter considerata, ratio ipsa mihi clarissimè dictabat, potiùs esse sequendam interpretationem Romano-Catholicorum, utpote conformiorem interpretationi antiquissimæ to-

tius Ecclesiæ, & veterum Sanctorum
 Patrum: Tum, quia auctoritas com-
 munis, & totius, ac antiquissimæ Ec-
 clesiæ, prævalet unicuique privatæ
 auctoritati cīque, novissimæ, & suspe-
 ctæ: Tum, quia veteres Sancti Pa-
 tres omni exceptione majores erant
 in Sanctitate, & doctrinæ soliditate,
 in virtutibus, & veritatis indagatio-
 ne, modernis novellis, leviculis, &
 sciolis, nihil aliud, quàm vitæ liber-
 tatem, & carnis licentiam quærenti-
 bus, & sectantibus, Ecclesiæ defor-
 matoribus. Tum, quia illi erant vi-
 cinores temporibus Apostolorum,
 & nonnulli ferè iisdem, aut saltem
 immediatis eorum successoribus con-
 vixerunt, ac proindè de corum sen-
 su, ac mente majorem potuerunt ha-
 bere notitiam circa Scripturæ Sacræ
 intelligentiam, quàm moderni Nova-
 tores post tam multas annorum cen-
 turias; Tum quia eorum interpreta-
 tio fuit ante motas controversias in-
 ter Catholicos, & Acatholicos hodi-

ernos; adeoque sine ullo privato affectu sacras litteras interpretabantur: At verò moderni heterodoxi, præoccupato affectu in alterutram partem controversiæ, conantur Scripturas ad suum sensum, & doctrinam trahere, vel rectius, detorquere, & non doctrinam suam Scripturæ Sacrae accommodare.

CONSIDERATIO XL.

SEd ut hæc res magis pateat, declaremus eam in exemplo: statutatur E.G. hic Textus Scripturæ Sacrae, & hæc verba Christi Domini. *Hoc est Corpus meum.* Romano-Catholici accipiunt verba hæc in proprio, ac reali sensu; quia hæc fuit explicatio illorum, & interpretatio semper totius Ecclesiæ ab initio ejusdem, ac omnium veterum Sanctorum Patrum. Acatholici id negant, ex suo proprio sensu, & privati Spiritus dictamine. Et rursus alio modo eadem explicant

Lu-

Lutherani, alio Calvinistæ, alio Zuingiani, alio Ariani, & unusquisque pro argumento suæ interpretationis nihil aliud adducit, quam privati sui Spiritus dictamen. Cui igitur potius ex his Spiritibus potuisse credere, aut cujus interpretationi potius adhærere? melius proinde fore judicavi, nulli eorum credere; cum pro una parte majorem rationem veritatis adferri non viderem, quam pro altera. Veritas enim una est quacunque de re, falsitas verò multiplex. Malum itaque hoc in puncto etiam sequi doctrinam Fidei Catholicæ, utpote securiorem.

CONSIDERATIO XLI.

UT ad fundamentum veritatis indagatæ devenirem, statui mecum utriusque partis celebriores Autatores evolvere, hac intentione, ut viderem, quomodo eorum doctrina cum doctrina veterum SS. Patrum primiti-

mitivæ Ecclesiæ, ac ipsorum, & inter se conveniret. Legi proinde variis libros eosque, copiosos à Romano-Catholicis, & quidem diversarum nationum, in diversis Regnis, ac Provinciis conscriptos, partim ab Hispanis, Italies, & Gallis, partim à Belgis & Anglis, partim à Germanis, Polonis, & Hungaros, & deprehendi omnes in dogmatibus Fidei, tam veteribus SS. Patribus, quam inter se per omnia convenire; &, quod mirum mihi videbatur, illos etiam, qui in aliis Scholasticis materiis acriter inter se discrepant, ut sunt Scholæ Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, & Societatis JESU; qui tamen, ubi ad dogma aliquod Fidei ventum fuerit, idem omnino tenent, idem docent, idem profitentur. Id ipsum observavi in scriptis veterum SS. Patrum; licet ii diversis temporibus, & remotissimis in partibus vixerint, ac scripserint, ut Ignatius, & Chrysostomus Antiochiæ, Athana-

sius, & Theophilus Alexandriæ, Ma-
 carius, & Cyrillus Hierosolymæ, Pro-
 clus Constantinopoli, Gregorius, &
 Basilius in Cappadocia, Dionysius
 Corinthi, Ephrem Syrus, Hierony-
 mus Dalmata, Cyprianus, Optatus,
 & Augustinus in Africa, Epiphanius
 in Cypro, Ambrosius in Italia, Ire-
 næus in Gallia, Orosius & Isidorus
 in Hispania, Beda in Anglia. Con-
 trà verò cùm contulisse Acatholi-
 corum modernorum scripta cum do-
 ctrina veterum Sanctorum Patrum,
 in tantum eos ab illa recessisse compe-
 ri, ut toto Cœlo ab eadem distent:
 combinavi dein ipsos Scriptores Aca-
 tholicos inter se, & maximam disre-
 pantiam in dogmatibus Fidei inter il-
 los clarissimè deprehendi: dum non
 tantum Calvinistæ in Lutheranos, &
 vicissim Lutherani in Calvinistas, ac
 utrique in Puritanos, Arianos, &
 Anabaptistas insurgunt; sed etiam il-
 li, qui sub eodem Titulo compre-
 henduntur, mirum in modum inter

se digladiantur quoad Fidei suæ Dogmata. Et aliud sentiunt, tenent, ac docent circa eadem rigidi Calvinistæ, & aliud molles Calvinistæ, aliud Remonstrantes, aliud contra Remonstrantes, aliud Puritani, vel Presbyteriani: Et aliud Lutherani Wittembergenses, aliud Regiomontani, aliud in Svecia, aliud in Hungaria, aliud in statu Brandenburgico, aliud in Anglia: Aliud iidem tenent hoc sæculo, aliud tenuerunt priori sæculo, aliud ad initium Lutheranismi, aliud in ejusdem progressu. Quam igitur causam afferre potuisse in extremo die Judicij, si tot ac tantis hominibus Ecclesiæ, tenebricosos homulos, pauculos, minus doctos, minus probos ac inter se divisos, antetulisse? Potius igitur illis adhaerendum, & hos rejiciendos judicavi.



CONSIDERATIO XLII.

Sed licet hi omnes tacuissent, ipsi tamen lapides, & res cunctæ vetustatem aliquam habentes mihi loquebantur, & veritatem Fidei Romano-Catholicæ in clamabant, & inculcabant. Consideravi enim tempora antiquissima, Electiones Cæsarum, & Regum, eorumque inaugurationis ritum, veterum Cæsarum, ac Regum statuta, & Articulos, antiquissimorum Academiarum Christianarum consuetudines, ac Leges: Nationum, ac Populorum ad Christianitatem conversiones, marmoribus incisæ inscriptions, omnium sæculorum à Christo nato Historicos, & Annales, gesta, & res memorabiles omnium temporum, à quibus cœpit promulgari Christiana Fides: Ephemerides, & in iis Festa Sanctorum, & denominations solemniorum dierum per annum, quæ etiam apud ipsos Acatholicos in

usu sunt, cujusmodi sunt: Dominicae Quadragesimæ, Quinquagesimæ, Sexagesimæ, Septuagesimæ, Dominica in Albis, Quasimodogeniti, Jubilate, Cantate, Rogate &c. Quæ omnia mihi inclamabant non aliam unquam Religionem in Christianitate imis radicibus insedisse, quam Romano - Catholicam: convincentem proinde habui rationem, cur vetustati adhærerem, & nuper natas novitates reiicerem.

CONSIDERATIO XLIII.

Septemdecim jam sæcula præterierunt, quibus Ecclesia Romano-Catholicæ impugnata fuit à crudelissimis Tyrannis, à Mahometanis, à Pagans, & Gentilibus, à Schismaticis, à tam diversis hæresibus, semper tamen mansit, & nunc quoque manet invicta, insuperabilis, visibilis, & florens, quin indies magis, & magis augeatur, crescit, & propagatur. E contrâ

trā verò tot, ac tam variæ exortæ
 fuerunt hæreses, quæ quidem vide-
 bantur potentissimæ, & dffundeban-
 tur instar torrentis; omnes tamen
 sensim sine sensu interière, & periére,
 ac penitus defecère. Tales E. G. hæ-
 reses fuere; Manichæorum, Donati-
 starum, Pelagianorum, Iconoclasta-
 rum, & aliæ quām plurimæ. **Quid**
 indè conclusi? Non aliud, quām quòd
 Ecclesia Romano - Catholica fundata
 sit à Christo in petra, & de qua Chri-
 stus prædictus: **Quòd neque portæ in-**
 feri prævalebunt adversùs eam. Aliæ
 verò sectæ ædificatæ fuerint ab homi-
 nibus in arena, & descendit pluvia,
 & venerunt flumina, & flaverunt vē-
 ti, & irruerunt in illas, & ceciderunt,
 & fuit ruina illarum magna, imò &
 per se corrucrunt multæ; & moder-
 næ quoque successu temporis corru-
 ent, juxta illud dictum Salvatoris:
Omnis plantatio, quam non plantavit
Pater meus cœlestis, eradicabitur. Ma-
 lui igitur me recipere in illam do-

mum , quæ fundata est in Petra , quām
in aliquam illarum , quæ ædificatæ sunt
super arenam , & proximam minan-
tur ruinam .

CONSIDERATIO XLIV.

SÆpiùs perlustravi ex professo Bi-
bliotheas tam Catholicas , quām
Acatholicas , & in Catholicis obser-
vavi tria genera , seu classes librorum
per longissimas series dispositorum ,
ex quibus in Bibliothecis Acatholicis ,
inter libros ab ipsis conscriptos , nec
vestigium quidem existabat . Qua-
rum trium classium in Bibliothecis ,
Prima erat sub Titulo *Vitæ San-
ctorum , Sanctarum* . Plurimæ hæ ce-
rant , ex omni statu Fidelium . Erant
inter eas *Vitæ Sanctarum Virginum*
innumerarum . *Sanctarum item Vi-
duarum , Episcoporum , Eremita-
rum , Religiosorum , Monialium , Mar-
tyrum , Virorum Apostolicorum , Sä-
ctorum Regum , & aliorum Sancto-
rum ,*

rum Confessorum, in quibus continebantur admirandæ eorum, ac heroicæ virtutes, vitæ innocentia, morum Sanctitas, devotio erga DEUM, charitas erga proximum, ac omnes vitæ Christianæ perfectiones. Et recognoscetis eos; Matth. 7.
v. 18. &
v. 20.

Atque assumebam: Atqui hæ omnes sanctæ Personæ vixerunt, & mortuæ sunt in Fide Romano - Catholica. Unde necessariò inferre debui: Ergo Fides Romano-Catholica est vera.

Altera autem classis librorum erat sub titulo *Libri Ascetici*, in quibus comprehendebantur saluberrimæ spirituales doctrinæ de exercitio virtutum Christianarum, & perfectione vitæ, de Imitatione Christi, de mundi contemptu, & vanitate, de amo-

re DEI, & charitate proximi, de dilectione inimicorum, & condonatione injuriarum, de humilitate profunda, de castitate intam nata, & mentis ac corporis Angelica puritate, de conformitate humanæ voluntatis cum Divina, de meditacione quatuor Novissimorum, & peccatorum gravitate, deque praxi omnigenæ pietatis, ac devotionis.

Tertia classis erat sub Titulo *Morales Theologi*, qui fusè tractant de observatione Decalogi, & Legum Divinarum, de restitutione rerum alienarū, & iniquè possessarum, & refusione damnorum per nos alteri causatorū, de Sacramentorum usu, & administratione debita, deque aliis rebus ad dirigendam conscientiam spectantibus.

In Bibliothecis verò Acatholicis nullos similes libros reperire potui; Non vitas Sanctorum, & Sacerdotum; Quia nullos sanctos, vel sanctas habent. Non Libros Asceticos; Nihil enim

enim libri eorum habent de perfectione, quam nec ex nomine neverunt. Nihil de Imitatione Christi, quam dicunt esse impossibilem; nihil de exercitio virtutum, bonorum operum, quæ inutilia esse ad vitam æternam judicant; nihil de castitate, & continentia, ad cuius nomen exhorre scunt; nihil de pœnitentia agenda, ad quam ajunt sufficere, si quis credit, Christum pro peccatis nostris æterno Patri satisfecisse. Theologia Moralis apud illos nulla est: Utpote, qui docent, Præcepta Decalogi servari non posse: peccata omnia esse aequalia: peccata prædestinorum apud DEUM non reputari pro peccatis: neminem damnari, nisi ob peccatum infidelitatis: Et alia his similia, quæ Caro, & Sanguis illis suggerit, & non Pater Cœlestis iisdem revelavit, suntque non vitae spiritualis, sed brutalis animalis principia, omnis laxitatis, & licentiosæ vitae, ac libertati carnis occasionem præbentia.

CONSIDERATIO XLV.

Contuli etiam conventicula Aca-
tholicorum, & specialiter illa,
in quibus cūsæ sunt Confessiones: Au-
gustana, Helvetica, Genevensis, An-
glicana, cum antiquissimis, & Gene-
ralibus Conciliis Ecclesiæ Romano-
Catholiceæ: sed quæ poterat esse com-
paratio inter lucem, & tenebras? Ad
Concilia siquidem Generalia Ecclesiæ
Romano-Catholicæ convocari solent
Episcopi totius Orbis, summi ex o-
mnibus nationibus Theologi, Lega-
ti, & Oratores Regum, & Cæsarum,
tractantur negotia summa cum matu-
ritate, accuratissima cum discussione,
cum consideratissima deliberatione,
ac controversiarum unanimi defini-
tione, & decretorum à Fidelibus u-
niversali acceptione; celebrantur lon-
gissimo tempore, ac subinde annis,
& annis, ut res controversæ melius
discutiantur, ventilentur, exàminen-
tur,

tur, ac semel definitæ non amplius in dubium revocentur. Quid autem conventicula Acatholicorum? Accipiamus in Exemplum conventiculum Augustanum, in quo cusa est Confessio Augustana. Hæc confecta est paucorum vix Theologiâ tinctorum cōfilio, & scripta cum magna festinatione, & celeritate, & quidem in divisorio publico; interfueré illi solum unius nationis Germanicæ scilicet viri, iisque pauculi, præoccupati jam priùs aliis opinionibus, homines animi elati, carnis libertati, & vitæ licentiosæ addicti; eadem à pauculis Civitatibus, & Principibus est acceptata, à pluribus rejecta, sèpiùs mutata, & variata. His utrinque consideratis, quomodo potui non stare eorum potius, quam horum iudicio, in decisione rerum controversarum Fidei?

CONSIDERATIO XLVI.

Considerationem hanc feci circa conscientias, Catholicam, & Acatholicam. Est autem conscientia actus intellectus, seu rationis, qui dictat nobis, vel advertit, aliquid licitum, vel illicitum esse; adeoque agendum, vel omittendum: estque proxima, & immediata voluntatis nostræ Regula. Jam videamus, quænam sint hæ Regulæ dirigentes voluntatem, ex doctrina Romano-Catholiconrum, & ex doctrina Acatholicorū.

Ex doctrina Romano-Catholiconrum sunt hæ: Omne peccatum est cavyendum, & in libero arbitrio est hominis, ut peccet, vel, adjuvante DEI Gratia, non peccet.

Omne peccatum mortale meretur pœnam æternam, & unum illorum sufficit ad æternam damnationem.

Peccatum pro nulla re hujus mundi est faciendum, ita ut præstet milles

lies mori , quam unicum peccatum
committere , etiam minimum.

De omni peccato et iam levissimo ,
ac verbo otioso danda est DEO ratio.

Non dimittitur peccatum , nisi re-
stituatur ablatum.

Post grave peccatum commissum
nihil restat , quam vel Infernus , vel
pœnitentia.

Nullum opus honestum supernatu-
rale est , quod non meretur Gloriam ,
& gratiam supernaturalem , aut illius
augmentum.

Omnia peccata mortalia sunt in
Confessione aperienda , ac Sacerdo-
ti manifestanda ; & plura his similia.

Acatholice autem doctrinæ , hæc
sunt conscientiæ dictamina.

Præcepta DEI est impossibile ser-
vare.

Unusquisque tenetur , se credere
salvandum , seu prædestinatum.

Talibus , qui hæc credunt , DEUS
non imputat ullum peccatum.

Propter nullum peccatum damna-

tur homo, nisi propter peccatum infidelitatis.

Bona opera non sunt meritoria vietæ æternæ.

Pœnitentia pro nostris peccatis non est necessariò agenda; siquidem Christus jam sua morte, & sanguine satisfecit pro nobis.

Non est in nostra potestate peccata cavere.

Nemo obligatur ad sua peccata cōfitenda: Sola fides sufficit ad salutem,

DEUS est auctor, & causa peccati. volens, suggerens, efficiens, jubens, operans, & in hoc impiorum scelerata consilia gubernans. Proprium DEI Opus fuit, ut conversio Pauli, sic adulterium Davidis, & Judæ proditoris impietas. Quæ omnia ex propriis Acatholicorum libris, paucis hoc loco subjiciam

Et quidem Lutherus in assertionib⁹ Wittembergæ impressis Anno 1520. articulo 36. mala, inquit, opera in impiis DEUS operatur. Idem ha-

bet,

bet, in resolutione assertionis 36. &
 L. de servo arbitrio. Praefat. in an-
 not. Item Philip. Melanchton ad ca-
 put 8. Epistolæ ad Rom. Calvinus i-
 dem docet In Institutionibus, Et in L. 1.c. 18.
 Libro de æterna DEI prædestinatione. L. 2.c. 4.L.
3.c. 23. &
Inane, inquit & fluxum sit illud di- 24.p. 944.
vinæ justitiae patrocinium, quæ mala
sunt, non ejus voluntate, sed permis-
su duntaxat fieri. Et in Instit. Jam L. 1.c. 18.
satis aperte ostendi, DEUM vocari, . 53.
eorum omnium Auctorem, quæ isti Cen-
sores voluntotiosè tantum ejus permis-
su contingere. Ita contra Catholicos,
 qui DEUM negant esse auctorem pec-
 cati, sed DEI permissione peccata e-
 venire docent. Et in Lib. de æterna
 Prædest. Non nisi sciente, atque ita or- p. 916. ea
dito anno,
 dinante DEO cecidit Adam, séque, & 1552.
 posteros perdidit. Et in Instit. Homo L. 1.c. 18.
 justo DEI impulsu agit, quod sibi non §. 4.
 licet. Et : *Quiquid agitent homines,* c. 18.s. 1.
 vel satan ipse, DEUS tamen clavum
 tenet. Et post pauca de incestu Ab-
 solonis, quæ scribit, ad Cattorum Prin-

cipē videtur à Zuinglio didicisse, ubi
 hic ita habet: *Quando facimus adul-
 terium, aut homicidium, DEI Opus
 est, Motoris, authoris, impulsoris.*
 Videtur idem sentire Lutherus serm.
 de Matrim. & lib. de vit. Cont. Et
 Lib. de vocat. Evang. lib. de vot.
 Monast. *Si nolit uxor, aut non possit,
 veniat ancilla. Siquidem res Uxoriorum
 tam est cuique necessaria, quam esca,
 potus, somnus. Matrimonium est Vir-
 ginitate multò præstantius. Eam Christus,
 eam Paulus diffuserunt homini-
 bus Christianis: Quantò sceleratior es,
 tanto vicinior gratiae. Omnes actio-
 nes bona peccata sunt: DEO iudice
 mortifera; DEO propitio leviuscula.*
Nemo malum suapte voluntate cogitat.
Decalogus nihil ad Christianos. Confi-
tenda crimina sunt, sed cuilibet; qui
si te vel joco absolverit, modo credi-
deris, absolutus es. Item: Libro de
 gen. 2. Cap. 5. Captiv. Babyl. & Magdebur.
 c. 4. Chri-
 c. de Euseb. stianus etiam volens non potest salu-
 tem perdere, nisi nolit credere. I-

tem Lutherus Lib. de cap. Babyl.
*Non aliâ viâ potest homo cum DEO
convenire, aut agere, quâm per Fi-
dem, Opera ille nihil curat.* Ibidem:
*Tam dives est Christianus, ut non pos-
sit perire, etiamsi velit, quantum-
cunque male vivat, nisi nolit crede-
re.* Item Lutherus: *Hæc tibi norma* tom. 3. lat.
¶ regula esto, quam in Scripturis Sa- Witt. fol.
cris intelligendis sequaris, ubi cunque 175. n. 50
jubet Scriptura bona Opera facere,
*tu id sic intelliges, quod Scriptura pro-
hibeat bona opera facere.* Calvinus L. 2. Instit.
Duobus, inquit, bis fortiter insisten- c. 14. §. 4.
*dum, nullum unquam extitisse pii ho-
minis opus, quod si severo DEI judi-
cio examinaretur, non esset damna-
bile.* Item L. de æter. Prædest. Idem pag. 1005.
vult DEUS & Diabolus. Et in Respon- §. 1007.
sione ad Nebulonis calumnias passim
*hæc habet: DEUS summa est causa pec-
cati-- Et præcipua.* Item: *Dicitur* L. 1. Instit.
satan excæcare infidelium mentes, sed c. 18. §. 2.
*unde hoc, nisi quia à DEO manat effi-
cacia erroris?* Calvinus etiam Aria-

norum Patronum agere non abhor-
 ruit, dum Christum Patri subjectum,
 L. II. Inſt.
 c. 14. ſ. 3. quoad divinam Naturam, aſſerit, Pau-
 li textum explicando; & in Admo-
 nitjone ad Polonos, *Quanquam*, in-
 quīt, *ab antiquis ſententia Christi*;
Pater major ift me, reſtricta fuit ad
humanam ejus naturam, Ego tamen
non dubito ad totum complexum ex-
tendere. Itaque Christus ſecundūm
 naturam divinam, Patre eſt minor,
 Calvinī ſenu. &c.

Jam ſi quis conſideret, & perpendat
 ex his principiis qualis am conſientia
 formabitur ad evitandum malum, &
 faciendum bonum; cum tamen prin-
 cipia Catholicæ doctrinæ id unicum
 præſtent & quidem evidenter. Con-
 victus proindè ſum potius conſien-
 tiā Catholicam ſequi, quam Aca-
 tholicam.

CONSIDERATIO XLVII.

VEhementer & illud mihi diſpli-
 cuit

cuit in Prædicantibus, quòd in omnibus suis concionibus, ac sermibus, totos quantos se occupent in carpens Catholicis, præsertim in Cæremoniis, & ritibus eorum irridendis; Interim tamen, quæ sunt gravissima in sua Religione, & unicè necessaria ad salutem populi currandam, ea penitus dissimulent; cùjusmodi sunt: Quòd non sint veri Sacerdotes, utpote non habentes potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistia: Neque potestatem dimittendi peccata; in quibus tamen Sacerdotalis munera officium consistit. Unde fit, ut graviter decipiatur populus, putans se sub utraque specie accipere Corpus, & Sanguinem Christi, sic à Prædicantibus dementatus; cùm tamen sub neutra specie accipiat, defectu Sacerdotalis potestatis in Prædicantibus, sed purissimum Panem, & purissimum Vinum. Persuadent item populo, se nihil docere, nisi quod

docuit, & tenuit primitiva Ecclesia Christiana, & veteres SS. Patres, quod tamen falsissimum est; & ipsi met consciū sunt hujus falsitatis; parum solicii, ut doceant suos vitam Sanctorum Patrum consectari, aut consilia sequentes Evangelica, suis ad imitationem proponere. Exurgunt quidem ab aliquo tempore inter Lutheranos sat multi, qui semet Pietistas vocant; sed hi, quo plus orationi, dilectioni, Pœnitentia, ac suspiriis sese dedunt, cō amplius à *Lutheranica Confessionis* doctrina receidunt.

CONSIDERATIO XLVIII.

Cum versarer inter Catholicos, observabam, quinam illorum iudicio censeretur malus, ac tepidus Catholicus, & intellexi, illos in hac classe ab iis poni, Qui DEI, & Ecclesiæ præcepta non obseruant, in bonis operibus se non exercent, Confessio-

nem

nem fugiunt, & negligunt, rarò Sacris intersunt, ad Sacramentum pœnitentiæ rarò accedunt, & concupiscentiis suis, & sensibus indulgent, jejunia non observant, &c. Et reflexi me ad Acatholicos, inter quos, qui hæc non observant pro ferventibus Evangelicis, & Protestantibus habentur. Et subintuli; ergo infimi, & peſſimi Catholici ſunt ſicut optimi Evangelici, vel Protestantes. Et confirmatus fui in illa gradatione, quam aliquando audiveram: Ex peſſimo Catholico fit optimus Lutheranus, ex peſſimo Lutherano optimus Calvinista; ex peſſimo Calvinista, optimus Arianus; ex peſſimo Ariano, optimus Machometanus.

CONSIDERATIO XLIX.

Pro motivo conversionis ad Fidem Romano-Catholicam, etiam illud mihi erat: Quod nunquam observarim, ideò deficere à Fide Romano-

mano-Catholica aliquem ad Acatholicos, ut melior fiat, sed præcisè, ut libertatem carnis, ac licentiam vitæ consequatur. Unde nullum Religiosum, aut Ecclesiasticum vidi à Catholicis ad Acatholicos transire, cuius prima cura non fuisset ducendi uxorem, & voluptates carnis sequi. E contrà verò, qui ex Acatholis convertuntur ad Fidem Romano-Catholicam, observavi, evasisse in homines valdè pios, & ferventes, zelantes, ac exemplares, & multos ex iis mundo valedixisse, & se totos DEO, ac illius servitiis consecrâsse. Atque sic omnis Arbor bona bonos fructus facit, mala autem Arbor malos fructus facit.

Sed & illud mihi mirum videbatur. Quòd, cùm tam clari Scripturæ Sacrae Textus sint de necessitate & utilitate Charitatis, Spei, Timoris DEI, Eleemosynæ, & aliorum bonorum operum, ac de necessitate Fidei; Acatholici tamen doceant, solam Fi-

dem sufficere ad salutem, licet hoc nullibi sit in Scriptura sacra. Sicut enim de Fide testatur Scriptura: Credidit *Galat. 3.6.*
Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam. Item Fides tua te salvum fecit. Idem etiam de Spe testatur eadem Scriptura: Multa flagella peccatoris: sperantem autem misericordia circumdabit. Item: In te sperabo, non confundar in eternum. *Psal. 13.8.* Item 10.
Spes autem non confundit. Item Omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se. Et de Charitate: Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum. Et charitas cooperit multititudinem peccatorum; Et de observatione mandatorum: Si vis ad vitam *1. Joann. 3.1.*
ingredi, serva mandata. Et de aliis bonis operibus: Et qui bonum egerint, ibunt in vitam eternam. De Poenitentia: Nisi paenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. *de Misericordia:* Misericordia, & veritate redimitur *Prov. 16.6.* iniquus. *de Eleemosynâ:* Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat. *Tom. 12.c.*

Item: quod superest, date Eleemosynā,
Luc. 11. 6. & ecce omnia munda sunt vobis. De
 Condonatione inimicorum: Dimitte,
 & dimittemini. Si dimiseritis ho-
Luc. 6. 41. minibus peccata eorum, dimittet &
 37.
Matth. 6. vobis Pater vester delicta vestra. Me-
 & 14. lius ergo, & tuius esse judicavi Do-
 ctrinam Catholicorum sequi, qui do-
 cent: Fidem quidem necessariam esse
 ad salutem, sed non excludi Spem,
 & Charitatem, aliaque bona opera. Nā
 ut Sanctus Paulus habet: Fides, Spes
 & Charitas, tria hæc (necessaria sunt
 ad salutem) & alibi sic: Si Fidem ha-
 beam, ita ut montes transferam, Cha-
 ritatem autem non habuero, nihil sum
 Si autem hoc admittatur (uti admitti
 debet) igitur falsum est, quod sola
 Fides sufficit ad salutem. Falsum item,
 quod alia bona opera non sint utilia
 ad salutem. Falsum denique, quod
 omnia nostra bona opera sint peccata,
 peccata siquidem non sunt utilia ad
 salutem, sed sunt media ad æternam
 damnationem.

CONSIDERATIO L.


Non paucos observavi Acatholicos, qui esto in vita fuerint pertinacissimi in suis Sectis, postea tamen, ubi ventum est ad Articulum mortis, convertebantur. & desiderabant, mori in Fide Catholica. E contra nullum Catholicum notavi, qui ad extrema deveniens, optasset in Religione Acatholica mori; cum tamen in hora mortis maxime aperiantur homini Christiano mentis oculi circa ea, quae concernunt aeternam animae salutem. Ego autem sic vivere statui, sicut vellem mori. Igitur matre Fidem Catholicam amplecti decrevi. Si quidem sicut mors est certissima; Ita hora mortis est incertissima. His accessit, quod Catholici, cum quibus de mea conversione egi, hanc dabant mihi assecurationem: Quod si propter susceptam Fidem Catholicam damnari deberem, ipsi parati sint

pro me in die Judicii respondere, & damnationem æternam loco mei, vel mecum subire. Qualem assecurationem non potui obtinere, vel extorquere ab aliarum Sectarum Prædicantibus, si in illorum secta vixero, & mortuus fuero. Unde conclusi, firmioribus fundamentis niti Fidem Romano-Catholicam quam alienas.

Recurrebat enim continuò in memorem, Pro Catholica Religione stare Scripturam Sacram, quam ipsa ad hæc usque tempora intaminatam conservavit, & quam Acatholici ab ipsa acceperunt; stat hujus Sacræ Scripturæ verus sensus, quem ipsa publico Ecclesiæ Spiritu, 17. Sæculorum unanimi consensu, ac etiamnum longè apertius, ac sincerius colligit, quam quicunque Acatholici suo privato ac contradictorio Spiritui adhærentes, Quem nulla in Christianitate habita Concilia, nulli SS. Patres, sed neque ulli, seu Sacri, seu profani Scriptores priisci, qui Lutherum, aut Calvinum

antecesserant, suô vel minimô testimoniô fulciunt. Insuper, quâm inaudita hæc arrogantiâ? quâ nihilominus volunt, & vi planè despoticâ volunt, ut ipsis unis, ac unicè, contra totam Antiquitatem, contra omnem Prudentiæ regulam, contra DEUM, contra animas nostras, ipsis inquam, unis, & unicè solis credamus. Et cur hoc? nimirum; quia ipsi dicunt. Sed neque rationem recuperio, quam neque ipsi adferunt, aut adferre possunt, cur Catholicus semet Acatholicis aggregare deberet? non Lutheranis; quia hi à Calvinistis, multorum errorum in Fide rei damnantur: non Calvinistis, quia hos vicissim Lutherani ut Hæreticos condemnant. En, quâm insanum Spiritus ille privatus abortiat fœtum! Denique pro Religione Catholica stant omnia orbis Christiani concilia, stant SS. Patres omnes, quos ex ipsorum voluminibus orbi est notissimum, Catholicos fuisse; sed ne-

que in tota Christianitate per mille & quingentos annos aliud fuisse, quam Catholicos, vel certè ab ea damnatos Acatholicos seu Antichristos.



EPILOGUS

RATIONUM & MOTIVORUM

Cur Fides Rom-Catholica cæteris omnibus Religionibus sit præferenda.

Ne temerè, vel alios aliquos ob fines, vel vanas Spes, putetis me Fidem Romano-Catholicam amplexum fuisse, & vestras tanquam falsas, ac impostorias Religiones rejeisse, Sodales, & Amici mei charissimi, Rationes, & Motiva meæ conversionis vobis hic in compendio adduco, & recapitulo.

Sum igitur ex vestra (quam quidem vos, male persuasi, Evangelicam vocatis) Religione, ad Fidem Romano-Catholicam conversus.

1. Ex eo, quod vos Lutherani, & Calvinistæ unum Statum Evangelicum constituere vultis, quod sane mihi videbatur esse inconceptibile. Cum enim multis Articulis Fidei inter vos difformes, & prorsus oppositi sitis, capere planè non potui, quomodo ambæ vestræ inter se contrariæ doctrinæ,

næ , possint eidem Evangelio esse conformes ? Quæ enim sunt diversa inter se , eadem uni tertio per omnia non possunt esse conformia , uti ipsum lumen rationis dictat.

2. Quod si autem alterutra ex his duabus Religionibus est conformis Evangelio , adeoque Evangelica ; deberet id probare una V. G. Lutherana de sua Religione tali argumento , quo Calviniana Religio non posset æquè , ac eodem jure uti pro probanda sua Religione , quod sit Evangelica ; Et è contra . Tale autem argumentum neutra pars potest pro se adducere ; Ergo non habui rationem , cur potius deberem esse Lutheranus , quam Calvinista , nec è contra , & cur potius hanc , quam illam judicarem esse Evangelicam .

3. Quia non vidi rationem , cur soli Lutherani vocent se *Evangelicos* , & Calvinistæ *Reformatæ Religionis* , & non debeant sic vocari etiam Anabaptistæ , & novi Ariani , seu Unitarii : Ab illis siquidem non adfertur tale argumentum hujus denominationis , quod ab his non possit æquè , ac eodem jure pro suis sectis applicari . Cùm igitur non sit major ratio pro Lutheranis , vel Calvinistis , quam pro Anabaptistis , vel quibusvis modernis sectariis , quos Lutherani , ac Calvinistæ excludunt ab his novitiis Titulis ; ipsi quoque Lutherani , & Calvinistæ , nec quoad rem , nec quoad denominationem , possunt dici Evangelici ,

lici vel Reformatæ Religionis. Ergo meritò has omnes sectas, utpote earundem quisquiliarum, rejici.

4. Quia constabat mihi multos, qui in Fide Romano-Catholica vixerunt, & mortui sunt, salvatos esse, ut vosmetipsi id fatemini. An autem aliquis sit salvatus ex aliis modernis sectis, nec quidem vobis ipsis constat, securiorem igitur viam ad salutem volui mihi eligere.

5. Imò hinc inferebam, vel ex eo Romano-Catholicam Fidem esse veram: Nam sine vera fide non potest quis placere DEO: omnis autem, qui salvatur, placet DEO: Ergo, cùm multi salvati sint in Fide Romano-Catholica, eam veram Fidem, & salvificam oportet esse.

6. Indè ulterius deducebam. Quòd cum Romano-Catholica Fides sit salvifica, adeòque vera, omnes ab ea diversæ Religiones sint falsæ; siquidem una tantùm fides est vera, ac salvifica, sicut unus tantùm est verus DEUS.

7. Quia Catholicos posse salvari in sua Religione non solum ipsi Catholici constanter asserunt, sed Acatholici etiam ultrò concedunt. In alia autem Religione aliquem salvari posse, soli Acatholici, iisque singuli de suis sectis ominantur, & dicunt, quod Catholici absolutè negant. Id verò, quod utraque Pars etiam sibi adversa concedit certius est, quàm id, quod una tantùm asserit,

altera autem negat omnino. Ergo securius operari volens, rationabiliter feci, quod Fidem Romano-Catholicam ceteris omnibus praetulerim.

8. Quia consulendo veterum, ac primitivæ Ecclesiæ Sanctorum Patrum scripta, ab iisdem solam Romano-Catholicam intellexi extolli, suaderti, laudari, reliquas verò omnes ab ea rejici, & damnari. Horum igitur prudentissimum consilium, ac Judicium statui sequi.

9. Quia omnes Sancti, & Sanctæ, qui & quæ fuerunt ab instituta Ecclesia à Christo usque ad præsens tempus, fuerunt ac vixerunt in Ecclesia Romano-Catholica.

10. Quia in testimonium veritatis hujus Religionis subierunt tot millia Martyrum durissimam mortem, ac sanguinem suum profuderunt.

11. Quia omnes, qui hanc Ecclesiam impugnarunt, & ab ea recesserunt, ut Arius, Machometes, Pelagius, Marcion, Macedonius &c. æternis ignibus addicti sunt, uti & eorum sectatores. Tales autem Hæresiarchæ fuerunt & Lutherus, ac Calvinus, ac alii Inventores modernarum sectarum; nolui proinde me periculo æternæ damnationis illos sequendo exponere; neque enim vidi rationem, cur Pelagius, & Arius sint Hæresiarchæ, & non Lutherus, ac Calvinus.

12. Quia Romana Fides fuit eadem cum Fide S. Pauli, ipso S. Apostolo attestante ad Rom. 1.

vers. 2. cur igitur debuisse quærere aliam Fidem, quām quæ fuit Sancti Pauli?

13. Quia si Romano-Catholicam Fidem non præelegissem, nunquam electionis inter alias Religiones finem cum animæ meæ quiete fecisset; semper enim dubitasse, quænam ex tot ac tam variis sectis sit vera fides, ac salvifica.

14. Quia doctrinæ aliarum Religionum continent plurima paradoxa incredibilia, & rectæ rationi prorsus difformia, ut patet ex Consideratione 15. 16. 17. & 18.

19. Quia omnes modernæ Religiones diversæ à Religione Romano-Catholica sunt novæ, & tales, quas nemo tenuit, docuit, aut fecerunt, ante Annum 1517. ut patet ex Consideratione 19. & 20.

21. Quia omnes hæ novæ Religiones sunt tantum ex antiquis heresisibus jam pridem ab Ecclesia diversis temporibus condemnatis consarcinatae, & quidem ineptissimæ.

22. Quia soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ conveniunt, & quidem apitissimè Notæ veræ Christi Ecclesiæ, nempè quod sit Una, Santa, Apostolica, & Catholica seu Universalis.

23. Quia ad hanc solam conversæ sunt, & de facto convertuntur omnes gentes, & populi ex Gentilismo, & Paganismo.

24. Quia Antesignani modernarum Religio-
num nullo signo, seu miraculo probârunt, sed nec
probare poslunt se à DEO missos ad Reformatio-
nem Ecclesiae.

25. Quia iidem Antesignani fuere homines
Carnales, Votifragi, Apostatae, impii, blasphem-
i, ac scurriles.

26. Quia hæ Religiones nunquam laborant in
Gentilium ad Christi Fidem conversione, sed so-
lum in tepidorum Catholicorum perversione.

27. Quia in Romano-Catholica Ecclesia mul-
tæ personæ ex utroque sexu, etiam maximi stem-
matis, & summarum divitiarum, se obsequiis
Divinis ultrò consecrant, vitamque suam in Pau-
pertate voluntaria, & intaminata Castitate trans-
igunt. In aliis verò Religionibus fidei, nemo
magnarum fortunarum, statum Prædicantium as-
sumere dignatur, nemo ex his se ad continentiam
resolvit: unde constat, horum plerosque ex
sola necessitate munus hoc obire, illos verò ex
amore solius DEI, & salutis animæ suæ, & fidei
veritate, ad tales status se DEO consecrare.

28. Quia Continentia, quæ est Donum DEI,
nulli unquam Prædicanti à DEO confertur, cùm
tamen in Religione Romano-Catholica tot sint
Religiosi, & Religiosæ, quæ non tantum con-
tinentiam, sed intaminatam virginitatem per Dei
gratiam usque ad finem conservant.

29. Quia scriptores Acatholici plerisque Argumentis suis, dum oppugnant Catholicos, ea impugnant, quæ illi non negant (ut sic eos in odium apud plebem inducant) & ipsam Catholicam doctrinam, prout ea apud eos docetur, vix attingunt, aut attingere audent.

30. Quia iidem contra Catholicos magis calumniis, & manifestis mendaciis agunt, quam solidis Argumentis.

31. Quia insuper Acatholici Catholicorum contra se Argumenta vel non solvunt, vel statim ad aliam controversisticam materiam transuent.

32. Quia novæ hæ Religiones pro libitu suo Sacræ Scripturæ libros è Canone sacrorum librorum eliminant, & alios pro suo arbitrio vertunt, ac interpretantur, & quidem unusquisque juxta proprium suum sensum; cùm tamen inter Catholicos idem est Scripturæ Sacræ librorum Canon, eadem versio, idem sensus, & eadem interpretatio.

33. Quia novæ hæ Religiones in ipsis Articulis fidei plurimum inter se differunt, etiam ii, qui sub eodem nomine continentur, imò & in ipsis Catechismis, quibus Pueris Rudimenta fidei traduntur.

34. Quia ipsæ Augustanæ Confessiones, quas pro fundamento sua Religionis Lutherani habent

maxi-

maximè inter se differunt, & à prima illa originali Augustana confessione discrepant.

35. Quia novæ hæ Religiones aperiunt latam, ac spatiösam viam ad omnem licentiam carnis, & voluptatum, cùm tamen Christus docuerit arctam esse, & angustam viam ad Cœlum.

36. Quia earundem defensores plurima Scripturæ sacræ loca, ac Textus detruncant, aliqua addunt, & ea ex suo proprio sensu interpretantur: insuper aliqua depravant, & corrumput. Vide Considerationem 36.

37. Quia Religiones à Romano-Catholica alienæ non sunt institutæ à Christo, nec habent Successionem suæ doctrinæ, & Pastorum à temporibus Apostolorum.

38. Quia in Scripturæ Sacræ interpretatione inter se discrepant, ut patet ex Consideratione 38.

39. 40.

41. Quia omnes res vetustæ, omnia veterū scripta solam Romano - Catholicam Ecclesiam fuisse in Christianitate radicatam, & firmatam testantur.

42. Quia Romana Ecclesia esto hactenus fuerit jam indè à sui initio oppugnata à diversis Tyrannis, Ethnicis, Paganis, & Hæreticis, semper tamen mansit inconcussa, & nunc quoque manet, cùm tamen hæreses aliae, sicut exortæ sunt, sic etiam interierint.

43. Quia apud Acatholicos nulla est doctrina Ascetica, hoc est talis, quæ tractet de perfectione, & exercitio virtutum Christianarum, uti nec ulla Scientia de rebus moralibus seu observatione legum Divinarum; sed omnia permittuntur desideriis, & concupiscentiis depravatissimæ naturæ humanæ.

44. Quia conciliabula Acatholicorum etiam illa, in quibus modernarum Religionum cuiusque sunt Confessiones, seu Professiones, nec quidem minimam comparationem habere possunt sive quoad doctrinam, sive quoad sanctitatem, ac virtutes, sive quoad Nationum varietatem cum Conciliis Generalibus Ecclesiæ Romano-Catholicæ, & Patribus, qui eisdem interfuerunt.

45. Quia principia Acatholicorum non sunt apta ad formandam conscientiam bonam, homine Christiano dignam.

46. Quia Prædicantes earum, solum ea proferrunt, quæ sunt in contemptum Religionis Catholicæ; alia autem, quæ sunt in sua Religione gravissima, & in perditionem manifestam animarum ipsis subjectarum, penitus dissimulant.

47. Quia ii, qui inter Catholicos judicantur esse pessimi, & tepidissimi, inter Acatholicos judicantur esse optimi, & ferventissimi.

48. Quia nemo est, qui ex Fide Romano-Catholicæ deficit ad alienas Religiones modernas, ex

eo ut in iis fiat melior, sed ut laxius & licentiosius vivere possit.

49. Quia cùm tam clara sint testimonia Scripturæ sacræ, de Spe, Charitate, Pœnitentia, Eleemosyna, & operibus misericordiæ, quòd sunt proficia ad vitam æternam obtinendam, ac de ipsa Fide; Hæc tamen omnia contemnunt moderni Novatores, & solum Fidem ad salutem sufficientem esse docent.

50. Quia etiam pertinacissimi Hæretici sæpius desiderant mori in Fide Catholica, ac etiam moriuntur: Nullus autem Catholicus optat in Fide à Romano-Catholica aliena mori.

His addo, quod mihi vehementer displicuit in Prædicantibus sectariorum, qui dum merita Christi, & satisfactionem mirè extollunt, imitationem vitæ illius, Auditoribus suis proponere, aut suadere penitus negligunt, quin Iisdem prætensionem & ansam præbent, ut de cavendis peccatis, & pœnitentia agenda pro commissis minime sint solliciti, uti de exercitio virtutum, ac bonorum operum; id pro se allegando, quòd CHRISTUS Dominus abundè jam sua morte sanctissima pro peccatis nostris satisficerit, & Regnum Cœlorum nobis promeritus sit. Atque sic Passionem, ac Mortem Christi, & illius satisfactionem in vitæ licentiam assumunt. Orthodoxa autem doctrina est; Christi quidem mortem, ac Passionem esse

sufficientissimam ex se pro peccatis nostris, & totius humani generis, ac infiniti prorsus meriti extendentis se ad omne omnino præmium possibile: nihilominus Christum voluisse illius fructum applicare nobis, ita ut & nos imitando virtutes illius, ejusdem Passioni cooperemur. Duplex siquidem fuit Finis Adventus Christi Domini in hunc mundum; primus erat, ut pro peccatis nostris satisfaceret, & ab æterna damnatione nos eriperet: Alter vero, ut perfectissimum omnium virtutum exemplar nobis daret, & ad sui Imitationem nos adduceret.

Quem finem ipsemet Christus his verbis declarat. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joann. 13. vers. 15. Et apud Matthæum 11. vers. 29. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et Sanctus Petrus 1ma cap. 2. vers. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Hic ego jam vos alloquor, olim mei in Religione Consodales, & nunc quoque amici, cognati, & patriotæ charissimi, atque per DEUM obtestor, per quinque vulnera Christi, ac Sanguinem illius pretiosissimum, quo redempti sumus, pérque salutem Animæ vestræ æternam obsecro. Nolite certam viam ad Cœlum relinquere pro incerta; Recogitate, ad quam fidem Antecessores

vestri & primi Christiani Nationis vestræ ex Gentilismo conversi sint. Perpendite, in qua fide Sancti illi, quos etiam vos pro talibus habetis, vixerunt. Considerate hæc motiva meæ conversionis, vobis sincerissimo affectu allata: & revertemini ad viam Patrum vestrorum, quam nempe Tritavi vestri ambulaverunt, ad semitas Sanctorum, ad Religionem illam, quæ tot sæculis viguit, atque etiamnum invicta vigeret, tot licet ab hostibus impugnata: cujus veritas tot Martyrum sanguine firmata est: Quam omnes sancti veteres Patres primitivæ Ecclesiæ defendunt, & approbant, contra quam nec Portæ Inferi (ex ipsius Christi promissione) prævalebunt. Consulte animabus vestrīs. Habete præ oculis salutem animarum vestrarum. Quid enim proderit homini, si universum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentū faciat; aut quā dabit coñutationē quis pro anima sua? Unicam habemus animam, de cuius æterna felicitate hic agitur. Salus æterna non acquiritur sine vera fide. Fides autem vera est unica, quæ, non est alia quam Catholica. Hanc ergo sequimini, mēque in ea complectenda imitemini. DEUS det vobis hanc gratiam, ut per veram fidem unanimiter ambulamus ad felicem Æternitatem.

Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cœlestis, eradicabitur. Matt. 15. V. 13.

F I N I S



BIB
AST

T